Digitized by Google



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS
871
S
1859
v. 1

CLASSICS

Digitized by Google

Return this book on or before the
**Latest Date** stamped below.

**Theft, mutilation, and underlining of books are reasons for disciplinary action and may result in dismissal from the University.**

University of Illinois Library

MAR 2 3 1971

SEP 1 9 1974

OCT 1 4 1974

APR 2 5 1984

JAN 14 1985

DUE: 1-14-85

L161—O-1096

# GAI SALLVSTI CRISPI

## QVAE SVPERSVNT.

RECENSVIT

**RVDOLFVS DIETSCH**

**VOL. I**

CONMENTATIONES. LIBRI DE CATILINAE CONIVRATIONE ET DE BELLO IVGVRTHINO.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLVIIII.

Digitized by Google

871 S 185

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI.

Digitized by Google

871
S
1557
v.1

Classics

VIRO DOCTISSVMO SIBIQVE CONIVNCTISSVMO

CAROLO HALMIO

EDITOR.

115059

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIO.

**Cum semper** animo meo recurrit iocundissima illius temporis **recordatio, quod** ante hos tris annos Monaci transegi et per quod **cotidie consuetudine,** conloquio, domo Tua usus sum, tum numquam **gratior et** magis viva, quam nunc ubi hunc librum emissurus sum. **Ad** quem ipsum parandum instruendumque *Tu*, vir **amicissume, me** non modo consiliis prudentissumis ac doctissumis **excitavisti ac** monuisti, verum etiam multis magnisque summae **liberalitatis ac** benivolentiae officiis adiuvisti atque confirmavisti. **Qua re si** quid utilitatis ex hac mea opera redundaverit, nemo **sibi eius fructum** maiore iure vindicare poterit quam Tu, nec **quidquam ego** mihi magis religioni duco nisi ut ipsum opus meum **pii ac grati** erga Te animi publicum monumentum extet. Quamquam **igitur** quam parum amplissumo Tuo nomine dignum sit ipse **persentio, tamen** non diffido, ob animi mei sinceritatem magis quam ob **ipsius dignitatem** Tibi gratum acceptumque fore. Set, qua **eximia es humanitate,** non dubito, quin nihil Tuo splendori de**tractum opinaturus** sis, si hoc loco publice eis viris amplissumis, **inlustrissumis,** doctissumis, qui mihi in hoc libro adornando **opitulati sunt,** gratias publice egero, *Haasio*, *Darembergio*, *Hundzikero*, quibus quae bibliothecae Parisinae debentur, accepta **refero,** *Bethmanno*, bibliothecae Guelferbytanae — vel ut rectius **Fleckeisenius** noster scripsit Wolffenbuttelanae — antistiti, qui **mihi liberalissume** codicum inspiciundorum copiam fecit, in primis **vero** *Carolo Ludovico Rothio* Basileensi, qui nonnulla quae ipse **multa cura** ac diligentia ad edundum Sallustium paraverat, humanissume **mihi** concessit.

**De ratione,** quam in scribundo secutus sum, pauca tantum **monenda puto.** Ac primum quidem vereor ne multi mihi crimini **daturi sint,** quod non pluris Sallusti codices excusserim, neque

infitior nonnullos etiam investigandos atque perscrutandos esse. Set dementiae est conari, quod fortuna neget, neque aequi iudices plus postulabunt, quam quod praestare possis. Ad hoc si vera est quam de codicibus proposui sententia, omnis quos nunc noverimus ex uno eodemque archetypo quasi fluxisse, frustra opera eis impendetur, qui non ex ipso aut ex alio fonte derivati sint. Deinde verendum mihi est, ne multis in notanda scripturae varietate nimius et tamen parum mihi constans fuisse videar. Scilicet ad viginti Catilinae capita prima omnis exhibui, quae mihi innotuerunt, diversitates, quo de singulorum codicum fide ac dignitate iudicari posset. In reliquis scripturas antiquissimorum tantum librorum atque eorum, quibus aliquid vel tribuendum vel ab aliis viris doctis tributum esset, copiose perscripsi, set etiam ceterorum rationem habui eis locis, unde mihi aliquid testimonii proferri posse videretur, in posterioribus aetate codicibus aut antiquiorum errores et glossemata propagata esse aut coniecturas praeberi. Multis locis etiam hoc mihi demonstrandum putavi, quam nihil tribuendum esset eis suspitionibus, — maxime de eiciundis verbis — quas nonnulli librorum testimoniis confirmari dixissent aut credidissent. Quod consilium num minus recte secutus sim alii iudicent; mihi fortasse accidisse, quod in magna copia facillime humano ingenio evenit, ut quid delegamus haereamus et nimis multa effundamus, haut infitias ibo. Denique metus est, ne multa veterum scriptorum testimonia me omisisse mihi crimini detur. At reputent, quaeso, homines docti, me pro fortuna mea pluris libros perquirere non potuisse, et eos locos enotare satis habuisse, qui aliquid utilitatis, quo rectius de textu scriptoris iudicaretur, adferre viderentur. Illud doleo, quod Hertzii Prisciani editionis volumine altero mihi uti non licuit.

In formis vocabulorum exhibendis rationes, quas Ritschelius Fleckeisenus alii viri de latinae linguae scientia inmortaliter meriti invenerunt, ita secutus sum, ut quod libris manu scriptis confirmaretur ac commendaretur, tamen antiquius haberem. Sic quamvis

dis, is magis tueantur codices antiquissimi, tamen cum nonnullis locis eis testentur hanc formam ubique restitui, at quoius uno loco, quo Vaticanus exhibet, scripsi, in reliquis cuius intactum reliqui. Tum quoniam multis locis accus. plur. tert. decl. in is reperitur, eam formam etiam in alia eiusdem generis vocabula transtuli, nollem tamen ab me J 66, 1 civitatis relictum, quod qua librorum fide munitum sit ignoro. Magis mihi fateor in talibus placere constantiam, set non tam quid ratione inventum esset, quam quid libri praeberent mihi exhibendum putavi.

Neque silentio praeterenndum puto me nonnullas suspitiones subpressisse, quod emendandi ratio mihi parum certa videretur, alias in varietate scripturae breviter commemorasse. Ita C 9, 2 quamquam antiquissumis libris cunctis consentientibus in amicos fideles scripsi, tamen quod posteriores nonnulli in amicis exhibent, in propatulo est conicere Sallustium scripsisse in amicitiis, id quod ab sententia non prorsus alienum iudicabitur, quamquam quod in illo scriptore fuit variandae orationis studium magis in amicos — scilicet praecedit in subpliciis — conmendet. Atque J 85, 26 propter ea quae in codd. P[1] et m inventa sunt, etiamnum dubito, an reticere verum sit. Doleo autem quod in Commentationibus omisi locum J 100, 5, ubi quamquam libri nihil variant, tamen verba belli Jugurthini pro glossemate habenda mihi videntur. Quae enim tot tempora belli Jugurthini erant, quibus exercitus coërcendus esset, et cur illud tempus ita prae ceteris ecferretur? Nonne aptius haec de omnibus bellis quae Marius gessit, dicentur? Qualem in bello Jugurthino sese ostendit, talis non minore gloria fuit in Cimbrico. Et quid mirum, ab grammatico illo explicatum esse belli Jugurthini sc. tempore, quod ab aliis in scriptoris verba inlatum.

Alterum volumen prope diem evolgabitur. Quod si, mi Halmi, in fragmentis nonnulla a me emendata, alia rectius explicata inveneris, tamen veritas me cogit publice fateri, me nihil prorsus in ea parte operis praestiturum fuisse, nisi eis quae *Fridericus*

*Kritzius* ad inlustrandas illas reliquias egregia doctrinae copia atque diligentia contulit, uti licuisset.

In indice conficiundo an rectas ac veras rationes secutus videar, valde dubito. Mihi hoc unum propositum fuit, ut quid apud Sallustium extaret, facillume inveniri posset. Quod si alias rationes, quam vel litterarum ordinem vel casuum vel formarum secutus essem, multo ampliore spatio opus fuit, simul verendum, ne multi se meis rationibus in errores inductos esse conquererentur. Illud omnis rogatos volo, ut si forte hic illic indicem non prorsus cum eo quem exhibui textu convenire viderint, id benivole ignoscant, reputantes secum maxumam partem iam tum parandam fuisse ante quam relicus liber typis exaratus esset, praeterea me veteres scripturas, maxume si emendatio minus certa esset, non prorsus omittere debuisse, denique multa vel diligentissumum mortalem effugere. Itaque huic libri mei parti cum operam navarem intellexi, quam arduum esset illud opus, thesauri latinitatis, quod Tu, mi Halmi, una cum Ritschelio Fleckeisenio Büchelero paras. Inmortalis vostra laus erit, nec quisquam melioribus vos votis prosequitur quam ego. Quod si vos hanc meam operam non prorsus inprobaveritis, summae mihi laetitiae erit.

Summo autem animi candore hoc Tibi scribo, vir amicissume, me cunctantem hunc librum edere, cum incohata potius quam perfecta me proferre sentiam. Nihil mihi gratius atque exoptatius accidet, quam si alius vir me doctior, acutior, fortunatior Sallustio utiliorem et salubriorem operam inpenderit. Illud Te enixe oro, ut Tibi persuasum habeas, neminem me Tibi deditiorem esse quam me. Faxit Deus Te Tuosque salvos et incolumis atque omnia quae suscepisti et suscipies, ad bonum faustum laetum eventum perducat. Sic vale meque ut semper fecisti amare perge.

Dab. Grimae d. XX. m. Febr. MDCCCLVIIII.

# CONMENTATIONES.

## Cap. I.

## De Sallusti codicibus.

Sallusti libros manuscriptos, quorum maxumus est numerus, primus, quod sciam, in genera et classes descripsit v. doctissumus Car. Ludov. Rothius Mus. Rhen. IX 1 p. 129—35, argumento certissumo usus lacunis, quae in libris inveniuntur.

Primus igitur locus, ubi plerique libri mutili sunt, est Iug. 44, 5, ubi verba *neque muniebantur ea* exciderunt eam ob caussam manifestissume, quod librarius ab priore ad alterum *neque* oculis aberraverat.

Tum, id quod iam alii observaverant [1]), in multis libris Iug. 103, 2 verba *ex omni copia necessariorum* excipiuntur verbis 112, 3 *pacem vellet, daret operam* cet., in aliis illis verbis liber clauditur. Quod cum ita factum sit, cum archetypi aliquot folia excidissent aut loco suo mota essent, nemo dubitabit [2]). Cum autem quae omissa sunt, in editione mea priore expleant fere lineas 168 [3]), conputando invenies, si duo folia exciderint, in quaque pagina scriptas fuisse lineas 42, si quattuor lineas 21, si sex 14, si octo $10^1/_2$. Quod si spatium, quod liber de Catilinae coniuratione et Iugurthae reliqua pars conplent, eodem modo conputaveris, singulos numeros sic convenire reperies, ut unoquoque totum recte dividatur.

Tertium locum in censum vocavit Rothius Iug. 21, 4, ubi pauci libri post verba *ab armis discedere* adiiciunt *de controvorsiis suis iure*

1) Bojesen. ed. II praef. p. IV n. 2.

2) Scilicet qui librum c. 103, 2 finivere, extrema quae supererant, aut neglexere aut quod nexu carerent consulto abiecere.

3) Quippe si rationem diligenter subduxeris earum linearum, quae non plenae sunt.

*potius quam bello disceptare*, de quibus quamquam ab relicuorum virorum doctorum sententia divorsum est, tamen quid mihi censendum videatur dicam. Ac primum quidem ea salva sententia abesse posse, nemo facile infitias ibit, nisi forte quis negat, senatum, si quos ab armis discedere iubeat, sese de eorum controvorsiis iudicare velle luculenter et perspicue dicere. Quo tollitur Kritzii dubitatio, qui si verba illa abessent, *ita seque illisque dignum esse* non habere dixit, quo satis commode referrentur. Atque ut mittam eos locos, in quibus *disceptatio* ipsi *bello* obposita est (Drakenb. ad Liv. XXXVIII 35, Heier ad Cic. d. off. I 34), duo, in quibus *bello* vel *armis disceptare* dictum est, Caes. b. c. III 107 *ostendit sibi placere regem Ptolemaeum atque eius sororem Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere et de controvorsiis iure apud se potius quam inter se armis disceptare*, et Liv. XXXVIII 38, 17 *controvorsias inter se iure ac iudicio disceptent, aut si utrisque placebit, bello*, ab Sallusti loco paululum tamen divorsi sunt, hic quod membra disiuncta sunt, ille quod Caesar sese ipsum de Ptolemaei et Cleopatrae discidio iudicare, non alii, senatui crede aut populo romano, iudicium permittere velle, necessario addere debebat, apud Sallustium senatus id omittere potuit. Iam cum eum scriptorem ab doctis grammaticis tractatum et explicatum esse constet, nec minus ex eorum commentationibus nonnullos locos interpolatos esse satis certa vestigia ostendant, quaero utrum veri similius videatur, glossam ab docto grammatico ad eum locum, qui sane explicatione egere videretur, adscriptam ab eis, qui posteriores et deteriores libros conscripsere, inconsulte in verba scriptoris inlatam esse, an, id quod Cortius auguratus est, errorem librarii, qui ab *discedere* ad *disceptare* aberravisset, per omnes libros vetustissumos atque optumos propagatum esse? praesertim cum ea verba in aliis libris paulo vetustioribus ad marginem scripta reperiantur, nec qui ea in textu exhibeant, ab relicuis ita divorsi sint, uti eos ex singulari quodam archetypo transscriptos esse cum aliqua veri specie contendas.

Quae cum ita sint, librorum, qui Catilinam et Iugurtham continent, haec tria genera esse iudico:

primum eorum, qui neque Iug. 44, 5 verba *neque muniebantur ea* habent et in eo libro extremo ampla illa lacuna mutili sunt,

alterum eorum, qui hanc lacunam explevere,

tertium eorum, qui etiam Iug. 44, 5 *neque muniebantur ea* exhibent.

Iam eos libros, quos quoniam adcuratius cognovi ad hanc editionem adornandam adhibui, describam.

I. Primi igitur generis hos nanctus sum:

1\. P, Parisinus [1]) Sorbonn. 500 (nouveau fonds de la bibliothèque impériale), saec. X [2]). In prima pagina litterae aliquantulum obscuratae sunt, ut ne discerni quidem possit utrum praenomen scriptoris in titulo *C.* an *G.* sit, quamquam ad finem Catilinae *C.* perspicue scriptum est. Ultima folia aliquot locis mutilata sunt eoque factum ut verba extrema Iug. ab 112, 3 *colloquio decretum* prorsus perierint. In principio scriptum est: *C. Sallustii Crispi bellum Catulinarium* (quae scriptura fortasse non prorsus neglegenda est, cum testimonium haberi possit eius nominis formae, qua Th. Mommsenius utendum putavit, Catalina) *incipit*, in fine eius libri: *C. Sallustii Crispi bellum Catiline explicit. incipit Iugurthinum*, quae a posteriore manu adiecta esse adparet. *ae* et *oe* fere semper plene scripta sunt, raro *e* pro *ae*, saepius *ae* pro *e* (Cat. 5 *atquae*, 7 *braevi*, 9 *rellinquaere*, al.). Ex codice eum librum exscriptum esse qui *a* apertum habuerit, multa docent (Cat. 7 *habebunt*, 23 *obnoxia*, 30 *totum*), nec minus adparet librarium in legendo archetypo saepe haesitasse, nec vero quidquam proprio marte diviuasse. Nonnulla menda eadem manus correxit. Quamvis satis constanter formas volgares exhibeat (genetivos secdae decl. vocabulorum in *ius* et *ium* semper *ii*, codemque modo semper *dii*, *diis* sim., item *vulgus vultus vult* al. id genus [3]), *libet libido*, *haud* al.), tamen nonnullis locis antiquiores servavit (statim in principio *omnis*, tum *intellegit*. Quod Iug. 37, 4 exhibet *thessauros*, in archetypo *thensauros* fuisse testari videtur). *h* saepissume vocalibus praefixum (*honeri* Cat. 2. *niehilhominus* 3. *abhorigines* 6. *inherat* 25), nec minus saepe *ch* pro *h* scriptum (*michi*, *nichil*). Glossae paucae ab eadem manu superscriptae sunt [4]), item correctiones, in quibus nonnullae littera graeca Δ notatae, pro qua bis *dia-*

1) Codices Parisinos meum in usum contulit iuvenis doctissumus Hunziker, quem, ut in principio negotii minus adhuc versatus fuerit, tamen summa diligentia usum esse maximeque in eis libris, qui pro optumis habendi sunt, multis mihi documentis conpertum est.

2) In primo vacuo folio haec scripta sunt: Ce Ms. peut être un des plus anciens, qui existent dans le royaume, contient la guerre de Catilina et de Jugurtha par Crispe Salluste.

3) Semper *cum*, nusquam *quom*.

4) Quod Iug. 90, 1 super *agendum* scriptum est *minandum*, inde conicias codicem ab homine Francogallo scriptum (mener). Quo fortasse pertinet etiam scriptura *tangua* Cat. 6.

*lyton* vel *dialiton* invenitur. Scilicet librarius litteras male contractas esse, ita significare voluit (cfr. Iug. 85, 31 ubi supra *parum* scr. *parvi* Δ, ibid. 48 sup. *dis: diis* Δ).

2. $P^1$, Parisinus nr. 1576 saec. X, set paulo posterior quam P, cum quo ita consentit, ut quin ex eodem fonte fluxerit prorsus dubitari non possit. Quoniam autem saepius quam ille antiquiores formas servavit (eius generis est gravissimum vetustatis testimonium *thensauros* Iug. 37, 4. 75, 1), inde adparere videtur, eas in P consulto in volgares commutatas esse. Nonnunquam optumas scripturas solus servavit. Ab recentiore manu multae glossae interlineares et marginales adscriptae sunt, eademque non nihil in textu correctum. His tertia et quarta manus nonnulla adiecere.

3. $P^2$, Parisinus 6085 membr. saec. XI. Eadem manus post Iugurthae finem Bocchi orationem (c. 110) adscripsit, tum recentior manus omnem illam lacunam explevit (quam significavi $p^2$). Multas continet glossas et interlineares (argumenta) et marginales. In orthographia cum plerisque libris fere consentit (saepius *e* pro *oe* et *ę* pro *ae*). Ad idem archetypum exaratum esse atque $P^1$ cum ceterae scripturae ostendunt, tum quod Cat. 57, 1 uti ille *pistoriosem* exhibet.

4. $P^3$, Paris. 6095, de quo infra 6 plura dicenda sunt.

5. $P^4$, Paris. 5748, in quo quae Iug. 103, 2 — 112, 3 omissa, ab eadem manu ad finem libri, set sine glossis et paulo divorsa orthographia subpleta sunt (quare cum id subplementum ex alio libro quam reliqua haustum esse manufestum sit, $p^4$ libri eam partem notavi). Ceterum cum multas glossas, simul ordinem verborum multis locis inmutatum exhibeat, non dubium videtur, quin secundum codicem exaratus sit, qui ad captum discipulorum adiuvandum institutus et factus esset [1]).

6. H, Basileensis, nunc A N. IV. 11 signatus. Quem quoniam Gerlachius descripsit, plura dicere supersedeo [2]). Consentit haut raro cum $PP^1P^2$, set cum $P^3$ ita, uti utrumque ex eodem archetypo

1) Eiusdem generis esse Parisinum 5750 membr. saec. XII, multas glossas marginales et interlineares continentem, per Hunzikerum cognovi.

2) Cum, quamvis Gerlachius ter eius codicis scripturas enotasset, tamen de multis locis dubitandum esset, Rothium per litteras adii, qui, qua est eximia benignitate, codicem omnibus eis locis, quos indicaveram, denuo inspexit summaque diligentia quid exhiberet perscripsit.

transscriptum esse certissumum sit, $P^3$ ex Basileensi, id quod Rothius censuit, paene credibile (vid. infr. p. 26 n. 1).

7. G, Guelferbytanus [1]) 68, 16. Ms. Aug. 8 (Ebert zur Handschriftenkunde II nr. 751) membr. form. 8. saec. XII. Cum finiatur in verbis Iug. 103, 2 *ex omni copia necessariorum*, quaeque post illa erasa sunt, non fuerint quae apud Sallustium sequuntur, quin primo generi adscribundus sit dubium non est (Cort. p. 886).

8. E, Einsiedelensis [2]) saec. XI, quem, quamvis iam Iug. 85, 28 desinat, tamen in primo genere numerare, quoniam Rothius, qui eum diligenter exploravit, id adseverat, non dubito.

9. M, Monacensis [3]) cod. lat. 19474 (Tegerns. 1472) membr. form. 8. Continet primum Ciceronis orationes Catilinarias (saec. XIII, o apud Halmium), tum fol. 62—145 Sallusti Catilinam et Iugurtham alia et ea quidem vetustiore manu, quam qua orationes illae scriptae sunt, exaratos. Desinit Iug. 114 in verbis *non pro gloria certare, sed postquam*, relicua, cum folium finitum sit, excidisse adparet.

10. $M^1$, Monacensis cod. lat. 19479 (Tegerns. 1479), membr. forma 4 saec. XIII. Continet solum Sallustium (147 p.), set prima pag. aliis rebus conferta est, ita ut scriptoris verba ab revorsa pagina folii primi incipiant. Quamvis male habitus sit, tamen bona indole non prorsus caret. Haut raro cum M consentit.

12. $M^2$, Monacensis cod. lat. 4559 (Benedictoburanus 59, 219) saec. XI menutis, ut in catalogo notatus est, set ego saec. XII esse iudico [4]). Fol. 22 finitur in verbis Iug. 28, 1 *omnes ut mortales*, post quae adscriptum est *deficit*, fol. 24 incipit ab 31, 12 *rem publicam occupavere*. Quae intercedunt, in fol. 23 alia manus posterior, set quae vetustiorem imitata sit, ita subplevit, ut folium non prorsus expleretur. Iug. 103, 2 alia manus ab *V delegit* incipit et usque ad extremum librum pergit (quam manum nota $m^3$ signavi). Consentit saepissume cum M et $M^1$. Multae in eo sunt rasurae, nec desunt glossae germanicae, veluti Cat. 27 *composite: redalicha*, Iug. 12 *tugurio: hittcha*, 18 *mappalia:* selida, 85 *histrionem: skirnen*. Admirabile est, quod Iug. 22 sup. *clemens* scriptum est *æmbrf*.

13. F, Fabricianus, nunc Havniensis biblioth. regiae 25, quem dili-

1) Libros Guelferbytanos ipse contuli.

2) Usus sum conlatione Gerlachiana.

3) Codices Monacenses ipse contuli.

4) Continet praeter Sallustium Martiani lib. I et II, quos contulit Koppius.

Digitized by Google

genter descripsit et denuo contulit Bojesen ed. II praef. (posteriores manus f notavi). Cum M ita consentit, ut utrumque ad idem exemplar exaratum esse luce clarius sit.

14. T, Turicensis [1]), in quo manus posterior (t) non solum amplam illam lacunam explevit, set etiam omnem extremam Iugurthae partem denuo exaravit. Cum F plerumque consentire iam Gerlachius (ed. I vol I p. XXII, ed. II praef. p. VI) observavit.

Libri $MM^1M^2TF$ quasi familiam primi generis efficiunt, set iuniorem. Unde qua usus sit fortuna per medium aevum scriptor, intellegitur; verborum ordo enim saepissume inmutatus est, ut librarios elegantiam quandam illi adfingere voluisse facile adpareat.

Primi generis denique est Nazarianus, ex quo Gruterus nonnullas scripturas protulit. Quem librum quoniam Nipperdeius aliique viri docti tanti fecere, ut nisi is repertus foret nullam spem esse dictitarent, scripturas ab Grutero enotatas diligentissume exscripsi, ex quibus hoc mihi adparuit, optumum eum esse et dignissumum qui investigetur et denuo exploretur, set tamen ab reliquis codicibus vetustissumis non tam divorsum, ut nova recensio constitui possit.

Cuius generis sit eiusdem viri docti *Commelinianus* diiudicari non potest, quoniam Iug. 97 'desinit fine lacer', uti ait Gruterus ap. Havero. p. 348. Eius quoque libri scripturas ab Grutero enotatas diligenter exscripsi.

II. Alterius generis hi libri vel a me ipso vel meum in usum conlati sunt:

1. p, Parisinus S. Victor. 503 (nouveau fonds de la bibliothèque impériale), qui quamvis multo posteriore tempore scriptus sit, tamen saepissume cum $P^3$ consentit.
2. $p^1$, Paris. 5752 (antea 5278) membr. saec. XIII.
3. $p^3$, Paris. 1574, glossis carens; in textu nonnulla manus posterior correxit.
4. $p^5$, Paris. (nr. 116 du nouveau fonds), nitide exornatus. Ad finem haecce subscripta: *Deus mihi adiutor. Deo laus semper et gloria. Mli anno domini* MCCCCXVII.
5. $p^6$, Paris. 6088, cum multis glossis; in textu pauca correcta sunt nonnullaeque glossae adscriptae manu recentissuma (fortasse saec.

1) Usus sum conlatione Gerlachii, passim ab Orellio et Rothio correcta.

XVII). Documento est, quanto opere recentiores libri Sallusti conrupti sint [1]).

1) Burnonfius eum codicem saec. XIII esse contendit, in eoque Iug. 44, 5 *neque muniebantur ea* ad marginem scripta esse narravit, de qua re Hunzikerus tacuit. — Ceterum Parisiis praeter libros meum in usum conlatos hi Sallusti codices adservantur: 1. 5749, membr. saec. XII, multis locis interpolatus, plerumque formas antiquiores exhibens. — 2. 5754, membr. saec. XV. — 3. 5755, membr. saec. XV (sic in catalogo not., at Hunzikerus saec. XVI esse iudicat). — 4. 5756, membr. saec. XV, nitide scriptus. — 5. 5757, chartac. (non membr., uti in catalogo scriptum) saec. XV. — 6. 5758, membr. saec. XV. Sub finem scriptum nomen *Georgius de Iveert.* — 7. 5759, membr. saec. XV, nonnullis foliis malo ordine conlocatis. — 8. 5760, membr. saec. XV. Ad finem haecce scripta: *Pro Iohanne Duboschet iurium doctore prothonotio aptico ac beatissimi tugualis Lavallen decano. Explicit bellum Iugurthinum. Duboschet. Non miretur aliquis, si aliqua vocabula in hoc libro prius non usu moderno scripta sunt. Nam hoc fuit gratia exemplaris bene antiqui et veracter scripti, de quo omissis duntaxat diptongis omnia ut iacebant hic apposui, verbi gratia omnis pro omnes. finis pro fines. advorsum pro adversum, et sic de aliis multis.* Tractatui, qui Sallustium excipit, beati Bernardi abbatis Clarivallensis de consideratione ad Eugenium papam, subscriptum est *in anno domini* M° C°L IIII^to, scilicet eo anno tractatus ille ab Scto Bernardo confectus est. — 9. 5761, membr. saec. XV, liber valde conruptus nec vero interpolatus. Subscr. *G. Guilermus vocatur qui scripsit.* — 10. 5762, membr. saec. XV, nitide scriptus cum glossis francogallicis. — 11. 6086, membr. saec. XI. Desinit Iug. 108, 2 in verbis *tempus ipse deligeret. consulto* (sic) *sese.* Cum secundi generis in antiquissimis sit, illud non neglegendum, quod Hunzikerus monuit, cum in illis verbis, quae in primo genero omissa sunt, non multum ab reliquis discedere. Iug. 104, 1 exhibet *Sullam ab tuca venire iubet, item l. bellienum praetorem tum praeterea;* ib. 3 *octario pisone.* — 12. 6087, membr. saec. XII, male scriptus, nec tamen sine pretio. Iug. 104, 1 post *praetorem* om. *Utica.* — 13. 6089, membr. saec. XIII, incipit ab Cat. 42, 2 *Catilina autem dimiserat inconsulte.* — 14. 6090, membr. s. XV. Ad mg. manus saec. XVII nonnullas scripturae diversitates adnotavit. — 15. 6091, membr. a. 1434 scriptus. — 16. 6092, membr. a. 1152 et 53 scriptus. — 17. 6093, membr. scr. a. 1496. Praemissa est brevis vita Sallusti, in qua perscriptum est *Leneum Pompeii libertum* advorsus Sallustium, *qui manes Pompeii laceravit*, scripsisse eumque *nebulonem, lucronem, popinionem, lusturum* (quod vocabulum explicatur *homo valide libidinis*) adpellasse. — 18. 6095, chart. saec. XV. — 19. 6097, membr. saec. XV. — 20. 6098, chart. s. XV. Ultimum folium Iugurthae excidit, uti desinat in verba 113, 6 *ac statim signo dato undique simul.* — 21. 6099, chart. s. XV. Ad finem Cat. haec leguntur: *metha libri primi Salustii cernitur hic. Catilinarius hic finit. abi crispe salusti.* — 22. 6100, chart. s.

6. m, Monacensis cod. lat. 14777 (Rat. G. Emmer. 477, Emm. E. 100) membr. forma 4, ut in catalogo notatum, saec. X vel XI, nitide atque eleganter scriptus, set ultima folia lacera sunt, ibique nonnullae litterae obscuratae. Desinit Iug. 106, 1 in verba *volux adveniens*. Ad marginem multa ex veteribus grammaticis, Prisciano, Servio, aliis adscripta, quae pleraque non sine difficultate leguntur. Per aliam manum paucissima quaedam correcta sunt. Eius libri conlationem v. d. Wölfflin Gerlachio commodavit, qui in praef. ed. IV nonnullas scripturas conmemoravit, unde quod intellexi meam conlationem cum illius consentire laetor.

7. m[1], Monacensis cod. lat. 14515 (Rat. G. Emm. 515), membr. forma 4 saec. XII. Ad marginem multae explicationes scriptae sunt, in quibus nonnulla ex aliis rerum scriptoribus ad inlustrandum Sallustium excerpta. Interdum voces Germanicae superscriptae sunt, veluti Iug. 13 *in gratiam: hulda*. Tria folia, quae conplectuntur verba Cat. 14, 5 *haut difficulter* usque ad 21, 3 *hominem familiarem* ab alia manu scripta sunt. Inter Catilinam et Iugurtham quattuor paginae et dimidia refertae sunt futilibus etymologiis et brevi de re militari Romanorum disputatione. Item Iug. 102, 13 post *partem* in suprema pag. 102 rasura est, tum duas paginas fragmentum grammaticum obsidet, denique fol. 52 alia manus in Sallustio usque ad finem pergit.

8. m[2], Monacensis cod. lat. 14685 (Emmer. 685), membr. forma 4 saec. XII exeuntis vel XIII ineuntis. Is quoque liber glossas Germanicas habet, veluti Iug. 36 *vades: gisel*. Diversis manibus scriptus est. Ab Cat. 31, 8 *maledicta alia* secunda manus incipit, tum tertia perscripsit Iug. 7, 5 *afferre plerumque solet* us-

XV. — 23. 6101, chart. s. XV, hic illic cum parvis lacunis, unde coniciundum est librarium, hominem religiosum, quae in suo exemplari legere non posset, omittere maluisse, quam suo marte periclitari. — 24. 6103, chartac. s. XV. — 25. 6014, chart. s. XV. — 26. 6253, membr. Principium saeculo XII scriptum. Ab Iug. 99 membranae diversae sunt et nonnulla folia palimpsesta saec. XV, unde facile adparet librarium in perscribundis relienis Sallusti verbis priorem manum imitatum esse. — 27. 6254, membr. s. XV. — 28. 8551. A, chart. s. XV. — 29. 8609, membr. saec. XV. — 30. Bibliothecae Mazarini nr. 1295, chart. s. XV. — 31. Bibliothecae d'Arsénal nr. 73, a. 1477 exaratus, ad exemplar antiquum, uti ex servatis formis antiquioribus adparet. — 32. Eiusd. bibl. nr. 74, saec. XV. — 33. Eiusd. nr. 75, chart. a. 1467 exaratus. In bello Iugurthino nonnulla folia falsis locis inserta.

Digitized by Google

que ad 8, 2 *in suis artibus*, post quae secunda manus pergit usque ad 23, 2. Ibi enim verba *nas in extremo sitas* — 24, 3 *quintum iam mensem* in singulari foliolo scripta sunt, et quae illa sequuntur, rursus ab prima manu exarata. Cum m is liber ita consentit, ut paene ex eo exscriptus videatur.

9. $\mu$, Monacensis cod. lat. 2602 (Aldersparcensis 72) membr. forma 8 saec. XIII, litteris minutis conscriptus, multas notas marginales et glossas ab diversis manibus scriptas continens. Iug. 21, 4 verba *de controversiis* — *disceptare* ab eadem manu, quae textum exaravit, ad marginem scripta sunt.

10. s, Lipsiensis [1]) bibliothecae senatoriae Rep. I fol. 4 (vid. Naumann catal. librorum manuscr. XL p. 14) membr. saec. XI (mea quidem sententia certe exeuntis).

11. $s^1$, Lipsiensis biblioth. senat. Rep. I 4. 41 (Naum. LXVIII p. 22) membr. saec. XIII.

12. $s^2$, Lipsiensis biblioth. senat. Rep. I. 8. 91 (Naum. LXIX p. 22).

13. $\sigma$, Lipsiensis biblioth. senat. Rep. fol. 14 (Naum. XCI p. 27 sq.). Iug. 21, 4 verba *de controv.* — *disceptare* in textu exhibet.

14. g, Guelferbytanus 8, 6. Ms. Aug. 4 ex bibliotheca I. Chunradi Rhumelii (Ebert 747) membr. forma 8 saec. XIII. Prima manus scripsit usque ad Cat. 10, 6 *vindicari* (tria folia integra), tum in fol. 4 alia manus incipit ab Cat. 9, 3 *pax evenerat*, sed paginae 8 et 9 extremae partes prima manu scriptae sunt. Item (fol. 15) verba Cat. 60, 4 *sauciis arcessere* — Iug. 2, 4 *aetatem agunt* erasa et denuo exarata sunt, denique Iug. 8 extr. rursus rasura est et deinde nova manus pergit.

15. $g^1$, Guelferbytanus 51, 12 Ms. Aug. 8 (Ebert 750), membr. saec. XII forma 8 min. In Iug. fol. 30 exciderunt (17, 5 *fertilis* — 62, 4 *vitabundi*); igitur in secundum genus referri non potuisset, nisi scripturae cum libris eius generis prorsus consentirent. Nova manus incipit ab Cat. 44, 3 *L. cum his;* tum Iugurthae principium usque ad 3, 2 *vi quidem* alia manus, sed quae priorem imitata, subplevit; denique Iug. 76, 6 post *onerati* pagina vacua est et ab fol. 102 nova manus pergit. Nec minus in extremis foliis, cum litterae modo pressae modo diductae sint, laceros aut obscuratos locos subpletos esse adparet.

16. $g^2$, Guelferbytanus 50, 4 Ms. Aug. 8 (Ebert 748), membr. forma 8

1) Codices Lipsienses ipse denuo contuli.

min. saec. XIII. Desinit Iug. 107, 5 *solum cum Sulla*, a quibus verbis alia manus usque ad 109 extr. *praeterea labor* (sic pro *Dabar)* pergit. Male habitus est; p. 130 lacera et obscurata. Iug. 21, 4 verba *de controversiis — disceptare* ad marginem scripta sunt. Sed nonnullis locis is liber cum optumis et antiquissumis consentit atque admodum memorabile est, cum Iug. 85, 31 *parvi* pro *parum* exhibere, unde si quis concludere velit eum ex singulari fonte fluxisse, videat ne id audacius sit, quippe cum *parvi* in P superscriptum fuerit.

17. $g^3$, Guelferbytanus Gud. 125 (Ebert 754) membr. fol. min. saec. XIII, permultis glossis inlustratus. Fol. 12 (Cat. 47, 2 *esse vicesimum — 49, 4 conflaverant)* alia manus subplevit.

18. $g^4$, Guelferbytanus 6. 2. Ms. Aug. 4 (Ebert 764), membr. forma 4 saec. XV in Italia exaratus. Dolendum est, quod cum librum sciolus librarius ita correxit, ut cum exemplaribus volgaribus prorsus consentiat.

19. $g^5$, Guelferbytanus 12. 10. Ms. Aug. 4 (Ebert 749) membr. forma 4 saec. XV in Italia exaratus. Externo nitori fides non respondet.

20. $g^6$, Guelferbytanus Gud. 177 (Ebert 755) chart. forma 4 saec. XV.

21. $g^7$, Guelferbytanus 17. 21. 2. Ms. Aug. 4 (olim abbatiae Florentinae. Ebert 745) chart. forma 4 saec. XV in Italia conscriptus.

22. r, Rulaudianus, quem descripsit Gutenäckerus progr. Münnerstadiensi, Wirceburgi 1837 [1].

23. h, Havniensis 3560, cuius scripturas Bojesen praef. exhibuit.

III. Tertii generis duos libros ad hanc editionem adornandam adhibui

1. l, Leidensem Ms. Lat. Bibl. Publ. n. 63, chart. forma 4 max. saec. XV (1467. 1471), apud Havercampium C [2].
2. $\gamma$, Guelferbytanum Gud. 272 (Ebert 753) membr. saec. XV in Italia exaratum. Catilina in eo libro bis inest. Exemplar quod alia manu scriptum g II adpellavi.

1) Iugurtham ipse contuli, cum Halmii benivolentia cum librum nanctus essem. Duos relicuos libros, ex quibus Gutenäckerus eodem libello scholastico varietates in Cat. enotavit, propterea neglexi, quod cui classi adscribundi essent nesciebam nec multum fructum praebere videbantur.

2) Eius libri conlationem ab ipso diligentissume factam debeo eximiae Rothii humanitati. Eadem iam ante me Gerlachius in ed. IV usus erat. Libros Leidenses relicuos nancisci non potui, quoniam in eis conferendis occupatus erat v. d. Rinekes, gymn. Leidensis praeceptor, qui num quid inde ediderit nescio.

IV. Adiungo his eos libros qui quoniam non pleni sunt, cui generi adnumerandi siut diiudicari nequit.

1. 𝔐, Monacensis cod. lat. 4603 (Benedictoburanus 103. 312), membr. forma 4 saec. XI excuntis [1]). Desinit (fol. 129) Iug. 52, 5 *in aequum locum deducit.* Qua re nihil certi de eo dici potest, nisi tertii generis non esse.

2. 𝔊, Guelferbytanus Extrav. 148 (Ebert 752), desinit Iug. 15, 4 *callide occultans.* Ab Cat. 51, 14 *quae apud alios* alia manus incipit. Ad finem haec leguntur: *liber sanctae Mariae et sancti Liborii* [2]).

V. Transco ad libros, qui nihil nisi orationes et epistulas ex Sallusti libris excerptas contiuent. Cuius generis vetustissimus est liber

𝔙, Vaticanus 3864 saec. X [3]). Qui cum ex Historiis quoque orationes quattuor et epistulas duas exhibeat, quin ex antiqua conlectione, quales sua iam aetate confectas esse testatur Fronto ed. Mai. Rom. p. 178 (Med. p. 122. 309. Berol. 169), conscriptus sit non dubium videtur. Ex codem fonte fortasse haustus est Bernensis 357 saec. X, quem in eis partibus, quas cum Vaticano communes habet, miro

1) Continet praeter Sallustium Aristot. de anima et varia.

2) De libris Parisinis, qui vel partes tantum Cat. et Iug. exhibent, vel cuius generis siut iudicari nequit, haec per Hunzikerum cognovi: 1. nr. 5747 A (nunc supplément 845) membr. s. XIV practer alia Sallusti Catilinam continet. — 2. 5747 membr. s. XV Iugurtham sine magna illa lacuna exhibet. — 3. 5751 membr. praeter alia continet a) Catilinam et Iug. usque ad 85, 38 *divitias, imagines, memoriam sui praeclaram*, quae omnia saec. XII scripta sunt. b) Catilinae initium usque ad 42, 2 *namque illi quos*, scr. saec. XIII. c) folium forma 8, conplectens Iug. 107, 1 *nudum et eecum corpus* usque ad 112, 3 *fedus fieret neque.* — 4. 5733 membr. s. XIV Catilinam primasque quattuor lineas Iug. continet. — 5. 6069 membr. s. XV verba scriptoris exhibet ab Cat. 5, 6 *id quibus modis assequeretur* usque ad Iug. 76, 4 *contra hec oppidani festinare parare prorsus ab.* Titulus Iugurthae hic est: *C. Crispi Salustii de bello Incurronhino.* — 6. 6102 chart. s. XV solum Catilinam continet. — 7. 6105 chart. s. XV ab Cat. 5, 9 *quoniam de moribus civitatis* usque ad Iugurthae prima verba pergit. — 8. 7659 chart. continet Catilinam usque ad c. 36 a. 1468 scriptum, reliquam partem ab posteriore manu set ad exemplar vetustum exaratam.

3) Eius codicis conlationem ab viro doctissimo Henrico Brunnio confectam Rothius, cui tam multa debeo, mihi tradidit. Ea ab Forchhammeri, quam Linkerus post praefationem editionis suae (Vindobonae 1855) preposuit, perpaucis locis discedit, quos locos diligenter notavi.

modo cum illo consentire adfirmavit Rothius l. c. p. 129 n. 1. Set Parisinum 6082 membr. saec. XV, quoniam ex Catilina et Iugurtha solis orationes, praeterea alias plerasque ex Livio excerptas continet, ad idem genus referre dubito. Quid enim obstat, quo minus medio aevo ex scriptore multum tractato orationes potissumum excerptas esse statuamus, praesertim cum sententias ex multis veteribus conlectas esse, Parisin. 188 du nouveau fonds saec. XV ostendat?

Cum igitur Vaticanum ex alio fonte, quam ex quo relicui libri fluxere, derivatum esse adpareat, cumque eum fontem non solum ex ipsa antiquitate ortum, set etiam purum atque integrum esse ex multis documentis certum sit — quamquam non desunt vestigia, quae grammaticos ab scriptoris verbis suas manus non prorsus abstinuisse declarent —, cum aute omnia ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse nemo infitiabitur. Quod si diligenter feceris, vetustissumos codices recentioribus longe anteponendos esse facillume tibi persuadebis.

Ergo quod in omnibus veterum scriptis factum esse compertum est, ut quo saepius scriberentur quoque magis legerentur, eo turpius conrumperentur, quodque de Sallusti libris per se quisque autumare potest, id codicis Vaticani fide confirmatur. In qua re non neglegendum est, nullum fere veterum scriptorum per medium aevum magis adsidue tractatum esse, quam Sallustium, id quod qui paucos tantum eius aetatis scriptores rerum legerit, profecto concedet [1].

Deinde ad quam sententiam qui aliorum veterum scriptorum libros manuscriptos diligenter percunctati sunt fere semper adducti sunt, ut omnes ex eodem archetypo propagatos esse censerent, eam in Sallustio conprobabit, qui quam multis locis omnes libri inter se prorsus consentiant, quoque modo diversitates scripturae natas esse adpareat perpenderit. Et prospera fortuna accidit, ut quod archetypum fuerit cum aliqua veri specie suspicari possimus. Commemoravit enim Servatus Lupus (Bernhardy R. L. p. 332 n. 248 et p. 335) Sallusti codicem in Germaniam translatum. At difficilior haec quaestio est, num tria genera librorum, quae supra recensui, suam quodque quamvis ex eodem archetypo deductam originem habuisse videantur, de qua quamquam disputatio ad certum finem iam adduci non potest, quoniam nondum omnes codices diligenter explorati sunt, tamen quo perveniri possit, eo magis

1) Ab veri specie non abhorrere videtur, si id propterea factum esse dixerimus, quod Sall. ab scriptoribus ecclesiasticis, Augustino Hieronymo aliis, commendatus esset.

periculum faciundum est, quod inde quid ponderis singulis testimoniis tribuendum videatur, pendet. Rothius enim l. c. p. 135 hanc legem editori Sallusti praescripsit, ut eae scripturae archetypi putandae essent, in quibus recentiores pleni libri cum mutilis vetustissimis consentirent; si discreparent, quae in non contaminato exemplari alius generis item reperirentur. Censuit igitur singula genera ex singulis vetustis libris originem duxisse. Cui sententiae quae mihi videantur obstare, libere exponam.

Primum per se mirum videtur, si libri vetustissimi omnes ex eo exemplari transscripti sint, quod inter tria maxime mutilatum fuerit, tum demum plenior liber repertus sit, ad quem iam libri exarari soliti, denique extremo medio aevo tertium exemplar ex tenebris in lucem prolatum, quod omnium plenissimum fuerit, indeque paucissimi libri exscripti. Ad quae illud accedit, quod libri generis secundi et tertii in eis partibus, quas cum primo communes habent, nullam fere diversitatem scripturae ostendunt, quod non ita intellectum volo quasi recentiores libri non multis locis corrupti atque interpolati sint, hoc dico, interpolationes et corruptelas omnes eius modi esse, ut ex eis, quae in scribundo accidere soleant, satis commode explicari possint, quaeque meliora et probabiliora sint talia, quae homo paulo peritior ac sagacior coniectando facile invenire potuerit [1]); in quo illud non

1) Nulla in re maior dissensus est, quam in ordine verborum, cuius discrepantiae partem ab scholastica tractatione originem ducere, qui in vetustioribus codicibus litteris superscriptis constructionem verborum praeiri viderit, intelleget. Haut raro librarios elegantiam quamdam captasse nemo infitiabitur. Quo cautius lex illa diplomaticae artis sequenda est, qua inmutatum ordinem verborum pro indicio glossematis habere iubemur. Ceterum quo certius de codicibus, quorum scripturae in hac editione non adnotatae sunt, indicetur, simul quo iure recentioris generis non plures conferendos putaverim, de duobus locis Iug. haec addam. Iug. igitur 73 extr. Parisini 5747, 5762, 6091, 6093 exhibent *sed paulo ante senatus numidiam provinciam decreverat*, 5749 *sed paulo ante nobilitas decio decreverat*, 5750 *sed paulo decio decreverat senatus*, 5760 *sed paulo* (sup. *ante*) *decreverat senatus*, 5761 *sed paulo decreverat*, 6086 *sed paulum decreverat*, 6087 *sed senatus paulo antea decreverat* (sup. *numidiam provinciam metello*), 6089 *sed paulo ante nobilitas numidiam provinciam metello decreverat*, 6090 *sed senatus decio metello paulo decreverat* (corr. *s. sen. metello numidiam prov. paulo ante decreverat*), 6094 *sed senatus paulo ante decreverat* (subpl. a po. ma. *numidiam metello*), 6096 *sed senatus paulo ante metello numidiam provinciam decreverat*, 6097 *senatus sed paulo decreverat*, 6100 *sed paulo ante senatus decre-*

neglegendum est quo vetustior aliquis liber sit, eo magis cum primo genere consentire. Set illud Iugurthae extremae partis subplementum multo vitiosius est, quam omnes relicuae partes. Quid igitur? Num veri simile est, aut eum librum, unde illa pars sumpta, in ea sola vitiosum fuisse, aut relicuas partes ex meliore codice correctas vel contaminatas? Utrum statuas, illud concedendum est recentiorum codicum testimonia advorsus vetustiores nihil valere.

Set quid si via pateat, qua et illud, quod nemini non mirum videatur, commode explicari et quo modo lacunae illae expletae sint coniectura veri simili explanari possit? Ut de Iug. 44, 5 primum dicam, nonne qui aliquam latini sermonis scientiam haberet, primo statim adspectu intellegere debebat, ante *neque more militari* cet. alterum membrum ab *neque* incipiens excidisse? Et itane difficile fuit, quale illud fuisset ex eis quae praecedebant divinare? Quid autem? nonne eidem libri, qui verba illa *neque muniebantur ea* exhibent, etiam Cat. 6, 2 quod ab docto homine adnotatum fuerat, in textum inlatum habent? Quid, si verba *neque muniebant* in vetustioribus libris ad marginem scripta sunt, et alia documenta ostendunt librarios lacunam explere conatos esse (Roth. l. c. p. 133 n. 7)? Utrum igitur veri similius, paucos illos et eos novissumos libros, qui lacunam Iug. 44, 5 expletam habent, ad antiquissumum exemplar, quod omnes per quattuor saecula doctos latuisset, exaratos esse, an subplementum illud ab margine vetustioris libri inlatum vel potius recte receptum esse?

De secundo autem genere quo rectius iudicemus, illud considerandum est etiam vetustissumos codices, in quibus ampla illa lacuna est, omnes in extrema Iugurthae parte vitiosiores esse, ut coniciundum sit archetypi ultima folia mutila, pallidis atque obscuris litteris conscripta, atque adeo male habita fuisse. Quid igitur? Si eius libri folia, quotquot fuere (vid. p. 1), aut cum excidissent, aut quod falso loco ingluti-

*verat numidiam metello*, 6101 *sed paulo ante metello senatus decreverat*, 6103 *sed paulo ante senatus numidiam metello decreverat*, 6253 *sed senatus paulo metello decreverat numidiam*, Ars. 73 *sed senatus paulo ante decreverat numidiam metello*, 74 *sed paulus senatus ante numidiam provinciam metello decreverat*. Ex qua farragine nonne quam lubidinose quae legi non possent subpleta sint adparet? — Iug. 93, 4 *perscribit* tuentur 5747, 5749, 5761, 6086, 6089, 6090, 6092, 6093, 6094, 6098, 6099, 6100, 6101, 6104, 6253, 6254, 8609, Ars. 74. *perscribit* (sup. *al. prospicit*) 5758, 6091, *inscribit* 5750, *pervenit* 5760, *describit* 5762, *perspicit* 6087, *scribit* (sup. *proscribit, considerat in animo)* 6097, *proscribit* (corr. *scribit)* 6103, *perscripsit* Ars. 73.

nata essent, latuere, dum reperta et tum vel mutili libri subpleti vel novi pleniores exarati sunt, nonne et quo modo factum sit ut illa pars postea inventa relicuis vitiosior sit et cur secundum genus in ceteris partibus ab primo genere non ita discrepet, planius atque apertius est, quam si suam cuique originem fuisse statuas? Ad quam suspicionem confirmandam etiam illud pertinet, quod iam ante quam unde omnis lacuna expleretur inventum esset, librarios quae deessent quaesivisse ostendunt libri $P^2P^3B$, in quibus ex libro eius generis, cuius est 𝔅, Bocchi oratio c. 110 perscripta invenitur; neque incredibile est archetypi illa folia, quamvis excidissent, tamen non deleta esse.

Haec igitur mea sententia est, ex archetypo cum excidissent nonnulla folia, primi generis libros conscriptos esse, tum cum folia illa reperta essent, alterum genus natum esse, postremo ex margine verba illa tria Iug. 44, 5 in textum scriptoris recepta esse. Quae sententia, si etiam plures libri reperti vel diligentius explorati fuerint, aut confirmabitur aut infringetur. Interim quo iure mihi hanc legem scripserim, ut nisi sententia obstaret, codices vetustissumos sequendos putarem, benivoli lectores iudicent.

---

## Cap. II.

## De locis in quibus aliquid excidisse vel alii viri docti iudicarunt vel ego suspicatus sum.

Cat. 3, 5 et alii viri docti et ipse ego olim cupide adripuimus scripturam nonnullorum librorum *eadem qua*. Set recte homo dicitur aliquem *probris omnibus maledictisque vexare* (Cic. pr. Flacc. 20, 48), an Sallustius de cupidine honoris idem dixerit tam diu dubitandum videtur, dum simili exemplo prolato ostentum fuerit Romanorum scriptores pedestres animi cupiditati id, quod aliquis agendi sua ratione ab illa cupiditate profecta apud alios homines sibi contraxisset, tribuendum putasse. Ac cum optumi et vetustissumi libri *eadem quae* exhibeant, nonne ablativus ab eis scriptus videtur, qui orationem hiulcam et claudicantem emendare studerent? Nam profecto *eadem quae* ferri non potest, nisi Linkeri ratione, qui *eadem* pro ablativo habendum et ad *quae ceteros* mente *quae* (fama atque invidia) *ceteros propter malos*

*mores vexabat* subplendum censuit (Act. gymn. Austr. VI p. 43), contortiorem fieri orationem negas. Quid igitur veri similius quam propter litterarum similitudinem aliquid excidisse? Quod intellegens Gerlachius ed. novissumae praef. p. XVII *eademque quae* coniecit. At ita non illud exprimitur, quod sententia flagitat, Sallustium, quod eadem cupidine honoris qua ceteri captus fuisset, etiam eadem qua illos fama atque invidia vexatum esse? Cui quid melius satisfacit, quam si ab Sall. scriptum statuas *honoris cupido eadem eademque quae ceteros?*

Cat. 5, 9 quicumque verba *ut paulatim inmutata ex pulcerruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit* attente legerit, quod aequabilitas membrorum, cuius Sallustius studiosissumus est, violata sit, offendet. Ea servata est in codice omnium vetustissumo P, qui *ex pulcerruma pessuma facta sit* exhibet; at quo minus hoc ab Sallustio scriptum putemus, cum aliae caussae obstant, tum Augustini (de civ. d. II 18) testimonium. Unde non dubium est, quin verba *atque optuma* cum Sellingio lectt. Sall. p. 7 et Linkero recipienda sint. Num igitur pauci recentiores libri, qui ea tenent, ad antiquius et plenius exemplar exarati esse censendi sunt? Minime. Quae inter eos intercedit scripturae diversitas, satis *optima* ab margine inlatum esse ostendit.

Set Cat. 6, 2 Rothius post *coaluerint* ex paucis libris novissumae aetatis inserendum esse censuit: *ita brevi multitudo divorsa ac vaga concordia civitas facta erat.* Quam sententiam Gerlachius ed. IV praef. p. XI sq. recte refutavit, quamvis, uti fieri solet studio redarguendi, nimis acutis nimisque multis argumentis usus. Nam Sallustianae orationis speciem ea verba prae se non ferre, nec connexui narrationis apta esse, nemo nisi qui praeindicata opinione Sallustio vindicare studeat infitiabitur. Simul Augustinum (Ep. V vol. II ed. Erasm. p. 14, al. Ep. CXXXVIII), apud quem illa verba leguntur, ea ex Sallustio non sumpsisse satis certum est propterea, quod cum paulo antea scriptorem nominasset, non *apud eos*, set *apud eum* vel *illum* dicturus fuit. Ex eodem potius fonte hausta esse atque quae Lactantius Inst. VI 10, 13 sqq. protulit, veri simile; Ciceronis esse — quae fuit Maii sententia locum Cic. d. Rep. I 25, 39 eis refereiundum censentis — non incertum, verum incredibile. Nec mirum talia ab librariis in Sallusti verba inlata esse, cum ad margiuem locos ex aliis scriptoribus excerptos adscriptos esse compertum habeamus (vid. supra de m[1]).

Cat. c. 18 duobus locis mutilum esse censeo. Primum enim in verbis §. 3 *erat eodem tempore Gn. Piso, adulescens nobilis, summae*

*audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant*, miror *erat eodem tempore* cum tam gravi numero omnibus praeposita. Quod si Sallustius exprimere voluisset vixisse eodem tempore Pisonem, ut nonnulli interpretes arbitrati videntur esse, id dicere paene ridiculum fuit. Neque, ut omittam locos Cat. 17, 7. 36, 4. 55, 3. Iug. 47, 1. 48, 3. 89, 4. Cat. 23, 3. Iug. 71, 3, quos diversos esse quivis perspicit, conparari poterit hic locus cum Cat. 17, 5 *erant praeterea conplures paulo occultius huiusce consili participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut alia necessitudo* et 39, 4 *fuere extra coniurationem conplures, qui ad Catilinam initio profecti sunt*. Nam quae de Gn. Pisonis ingenio et moribus conmemorantur, certe in multis aliis infuere, qui aetate, auctoritate, potentia ad coniurationem adiuvandam magis quam ille idonei essent: illud dicundum fuisse adparet, eum per fortunam ministrum Catilinae et Antronio oblatum fuisse. Quod non exprimitur, nisi ubi fuerit tum Piso adicitur. Igitur si *Romae* vel *in urbe* excidisse statuerimus, simillumus hic locus fiet Cat. 21, 3 *esse in Hispania citeriore Pisonem*. Iug. 35, 1 *Erat ea tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiva*. 65, 1 *Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda.*

Tum §. 6 verba *ea re cognita* quod sciam omnes ita interpretati sunt, ut consilium caedis patefactum fuisse eamque ob caussam coniuratos illud distulisse dici arbitrarentur. Cui obstat primum usus verbi *cognoscere*, quod passive ita ut significaret patefieri, evolgari, rumore accipi, nusquam dictum est, tum ratio grammatica. Cum enim latini scriptores hanc legem diligentissume observaverint, ut ablativi absoluti semper ad idem subiectum referrentur, nisi quo pertinerent per se satis perspicuum esset (Fabri ad Iug. 10, 1), vide ne Sallustio indignum sit tantam ambiguitatem ei tribuere. Set, id quod multo gravius est, res obstat. Etenim si iam ante Kalendas Ianuarias coniuratio patefacta fuisset, quid quod in volgus nota, ut *cognita* significare necesse esset, num credibile est, nihil prorsus de ea re publice actum fuisse, ita caussam neglectam esse, uti coniurati consilium suum in Nonas Februarias, tam propinquum tempus, differre auderent? (Cfr. Hagen Catil. p. 99.) Narrat praeterea Cassius Dio (XXXVI 27. Vid. Drum. V p. 396. II p. 88 et 515) novos consules, cum de periculo aliquo conmoniti essent, Kalendis Ianuariis cum praesidio armatorum in Capitolium ivisse, eamque ob caussam coniuratos rem distulisse? Quod si statueris ante *ea re cognita* id narratum fuisse set malo casu exci-



Digitized by Google

disse, et oratio recte se habebit neque res ulli dubitationi obnoxia erit [1]).

Admirabilia porro sunt, quae Cat. 28, 1 leguntur, *G. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus et cum eo L. Vargunteius senator constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de inproviso domi suae inparatum confodere.* Quid enim? illi homines tam stolidi fuere, ut eum armatis ad Ciceronem introire et tamen salutationem se simulare posse crederent? (Cfr. Hagen l. c. p. 6 extr.) Quid porro? itane vecordem Sallustium credis fuisse, ut tam inepta narrare potuerit? Quamvis in aliis longe ab Sallustio discrepent, tamen multo prudentius eam rem narrarunt Appian. b. c. II 3 p. 538 Bekk. *Λέντλον μὲν αὐτὸν καὶ Κέθηγον ἐφεδρεῦσαι ταῖς Κικέρωνος θύραις περὶ ἕω μετὰ κεκρυμμένων ξιφιδίων, ἐσδεχθέντας δὲ διὰ τὴν ἀξίωσιν καὶ λαλοῦντας ὁτιδὴ μηκῦναι τὴν ὁμιλίαν ἐν περιπάτῳ καὶ κτεῖναι περισπάσαντας ἀπὸ τῶν ἄλλων*, et Plut. Cic. 16 *Μάρκιον δὲ καὶ Κέθηγον ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας ἕωθεν ὡς ἀσπασομένους τὸν Κικέρωνα καὶ διαχρήσασθαι προσπεσόντας* (cfr. praeterea Cass. Dio XXXVII 32). Cum iam librum de Catilinae coniuratione etiam aliis locis mutilum esse cognoverimus, iniuriane scriptorem summis ineptiis liberare videbimur, si excidisse in eius libris statuerimus, quod ad quem usum illi hominum armatorum comitatum postulavissent contineret?

Cat. 32, 1 cum ceteri editores tum ego certatim nos torsimus in defendendis atque explicandis verbis *neque insidiae consuli procedebant*, set frustra. Nam sive dativus ab substantivo pendere putatur, insolentior constructio est, quia *insidiae* non ab *insidiari* ducitur, ut *intercessor* ab *intercedere*, *obtemperatio* ab *obtemperare*, reliqua quae cum hoc loco conparavere Krüger Gr. lat. §. 362 not. p. 482 sq. Weissenborn Gr. lat. §. 303 n. 3, sive ad verbum referendus censetur, verbi *procedere* usus obstat, cum quo dativus iunctus nusquam non significat eum, cui aliquid utilem et bonum successum habeat, fructum et utilitatem praebeat, nec recte conparatur infr. 2 *insidias consuli maturent*, quoniam in *maturare* inest notio mature parandi, neque conferri possunt, de quibus disputavit Madvig. Gr. lat. §. 241 adn. 2 [2]). Iam qui naturam librorum manu scriptorum noverit, non dubitabit, quin

1) Nihil in hac quaestione tribuendum esse ei rei, quod in $g^4$ ante *ea re* rasura est, vix est quod moneam.

2) Ne quis obponat Atti fr. 214 ed. Ribb. *multae insidiae sunt bonis*, moneo longe aliud esse quod mihi sit, quam quod mihi procedat.

exciderit participium passivi, unde pependerit dativus *consuli*, idque fuisse suspicor *intentae*, quod ob simile initium post *insidiae* facile omitti potuerit.

Recipiundum porro fuit cum Linkero Cat. 36, 1 cognomen *Flammam*, quamvis in duobus tantum libris [1]) inventum esset, quippe cum multo veri similius videatur id propter similitudinem litterarum excidisse, quam vel ab docto grammatico adscriptum vel ex dittographia natum esse. Id cognomen in nonnullis gentibus fuit, ut in Volumniorum (Fast. Capit. ap. Grut. 291), Antoniorum (Tacit. Hist. IV 45), Calpurniorum (Zonar. VIII 12. Flor. I 18, 13 al.).

Similis locus est Cat. 53, 1, ubi *effeta parentum* nemo satis commode explicavit. Neque enim ablativus *effeta* recte ad *Romae* refertur, neque genetivus recte ab *effeta* suspenditur, neque qui anacoluthiam statuere *(Sellingius)*, ullam caussam invenere qua Sallustium ab instituto deductum esse demonstrarent. Quod persentientes alii alio modo locum sanare conati sunt. Set in tanto omnium librorum consensu nonne veri simillumum videtur vocabulum ob similitudinem litterarum ab librario archetypi omissum fuisse? Qua re ego conieci scribundum esse: *effeta aetate parentum*, quod Kritzio viro summo probatum esse laetor.

Cat. 57, 4 omnes Sallusti libri, quorum aliqua fides est, quid quod Prisciani XVIII p. 1197 P. p. 240 Kr. exhibent *neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur;* quae perversa esse nemo non intellegit; nam qui magno exercitu quamvis locis aequioribus eos qui expediti fugiant sequatur, si non procul absit miraculi instar est. Quare omnes fere viri docti paucorum librorum scripturam *expeditus* amplexi sunt, recteque Kritzius intellexit cum hoc coniungenda esse verba *locis aequioribus*. At tum *in fuga* prorsus non habet quo commode refera-

1) Hic codicis m cum Nazariano consensus non minumi momenti est ad confirmandam eam quam supra de origine secundi generis protuli sententiam, nisi forte quis m contaminatum esse ex Nazariano contendit, id quod eo minus credi potest, quia ut alia omittam, Cat. 17, 1 quod in Naz. omissum est *singulos*, in m ad marginem adscriptum. Ceterum quo facilius quam saepe in eo genere libri peccaverint intellegas, cfr. var. scr. Cat. 39, 2. 41, 1. 51, 42 ubi *in* vel in Vaticano propter sequens *illis* excidisse adparet. Quare non est cur Iug. 16, 3 *in inimicis* pro *in amicis* restituere dubitemus. Vid. Selling. lectt. p. 22. Dici vix potest quot vitia ex more librariorum syllabarum earundem si concurrerent semel tantum scribundarum orta sint.

tur, quibus verbis si Sallustius exprimere voluisset: cum hostium fuga esset, merito in vituperationem incurreret. Iam locus postulat, ut hoc dicatur: Antonius haut procul aberat, id quod non mirandum, quoniam et magnas copias habebat (ut semper essent, qui praemitti possent) et locis aequioribus expeditus iter faciebat, contra hostes in fuga *(per montis asperos)* impediti erant. Cum igitur libri *expeditos* exhibeant pervorse, nonne veri simile videtur, scribundum *expeditus inpeditos?* qualia apud latinos scriptores frequentissuma esse vix est quod moneam.

Quam facile ex libris aliquid exciderit, testimonio est etiam Cat. 60, 7 ubi nomen Catilinae, quo careri nullo modo potest, cum in archetypo omissum esset, in aliis libris alio loco interpositum est. Cfr. Selling. em. p. 36.

Admodum autem memorabile est, Diomedem p. 325 P. et Charis. p. 159 Keil haec verba Sallusti proferre: *alis alibi stantes omnes tamen adversis vulneribus conciderunt* [1]). Quorum cum ultima Cat. 61, 3 legantur, admirandum est, quod in libris praecedentium ne vestigium quidem reperitur. Quid igitur? num grammatici illi errore Sallustio tribuere, quae alius scriptoris essent? Vix credibile est, inter duos scriptores ita convenisse. An quod in Sallusti libris ex glossa ad *paulo divorsius* adscripta inlatum esset, pro ipsius scriptoris verbis habuere? Ne hoc quidem veri simile est, glossatorem antiqua et obsoleta forma *alis* (cfr. de ea Priscian. p. 1014. Lachm. ad Lucr. IV 637 p. 249) usum esse. An quae Kritzii fuit sententia Fr. inc. 94 p. 392, Sallustius eadem verba paululum variata in Historiis repetiverat? Non prorsus haec sententia veri specie caret, quod apud grammaticos illos in quo libro ea verba fuerint non dictum est, in Historiis autem multas res scriptor narravit, ad quas ea aptissuma essent, nec desunt denique exempla earundem sententiarum ac locutionum repetitarum (cfr. Fr. I 45, 7 Kr. cum Cat. 52, 9, Fr. III 82, 13 cum III 1, 8, I 51, 9 c. Cat. 51, 11 [2]). Accedit quod *paulo divorsius* idem atque *alis alibi stantes* significare videtur. Verum tamen cum lacunosos libros manu scriptos Catilinae esse cognoverimus, ea verba, quae grammatici illi commemorant, ex eis excidisse certe non minus veri simile est [3]). Ac quamvis nemo nisi grammatici illi praeberent ea desideraret, tamen

1) Quae ap. Charisium est verborum discrepantia, nihili videtur facienda.

2) Fr. inc. 13 omittundum puto, Servium ad Iug. 106, 3 respexisse ratus.

3) Ipse Kritzius, cum verba illa inter fragmenta in ea editione, quae Lipsiae 1856 prodiit, non rettulerit, sententiam suam videtur abiecisse.

nihil video quod vituperemus. Cur *divorsius stare* minus recte dicatur quam *divorse iacere* (Bell. Afr. 40 extr.) non magis intellegitur, quam qua re scriptor *divorsius* adiuncto *alis alibi* inlustrare noluerit, cum simili abundantia scripserit Iug. 46, 4 *legatos alium ab alio divorsos adgreditur*, 50, 5 *sese recipiebant — alius alio quam maxume divorsi*, 101, 2 *quia divorsi redeuntes alius ab alia parte atque omnes idem significabant*. Neque illud recte obponetur, iam 60, 5 scriptum esse *eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit*. Quid enim? nonne scriptori hoc loco, ubi de virtute quae fuisset in exercitu Catilinae dicebat, postquam commemoravit fere omnes suum quemque locum corpore texisse, illud repetere licebat paucos modo disiectos non uno eodemque loco restitisse, set omnes tamen advorsis volneribus concidisse? Et quem ad modum inter nostrates fuere, qui cum opinionem quamdam de Sallusti brevitate inbibissent, quidquid liceret eiccere, quidni iam antiquioribus temporibus idem factum esse credamus?

Iug. 1, 5 *Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa petunt, periculosa* sententiae non satis facere perseusere ei viri docti qui paucissumorum librorum [1]) scripturam *pernitiosa* probavere, Döderlein. Mus. Rhen. 1829 p. 15. Linker Act. gymn. Austr. VI p. 45. At si *pernitiosa* scribitur, tamen violata ac laesa est membrorum aequabilitas, cuius Sallustium studiosissumum fuisse iam supra monitum est. Prospera igitur fortuna accidit, ut apud August. Ep. LIV T. II ed. Bas. p. 160, ubi verba haec Sallusti, quamvis eo non nominato, repetuntur, legitur *periculosa ac pernitiosa*, quorum alterum in libris excidisse non mirum est. Quibus receptis et aequabilitas membrorum restituitur et chiasmus, cuius scriptor non minus amans fuit. Adparet enim nihil profuturis respondere periculosa, pernitiosa alienis, i. e. quae nihil ad bene beateque vivendum pertineant.

Iug. 47, 2 *Huc consul simul temptandi gratia et si paterentur opportunitate loci praesidium inposuit* secundum Gruteri emendationem plerique scripsere. Quae ut paucis atque adeo vetustis codicibus confirmetur, tamen cum magnus plerorumque consensus *oportunitates* exhibentium dubitationem movet, tum sententiae ratio. Etenim oportunitas loci caussa fuit, ut Metellus Vagenses potissumum temptaret, eam tum accessisse si illi paterentur porvorsum est. Debebat Sall., si tale aliquid exprimere vellet, scribere: ratus si paterentur locum

1) Praeter γ nullum novi nisi quem Döderl. commemoravit.

se oportunum habiturum, sin minus animos eorum cogniturum (cfr. 88, 4). Quod cum intellexisset Könighoff crit. et. exeg. progr. Trevir. 1854, viam emendandi praeivit, ostendens *et* ab librariis interpositum esse, qui usum particulae *si* post verba, in quibus experiundi notio est, ignorarent. Cuius usus quamvis nullum aliud ap. Sall. exemplum inveniatur, tamen ita pervolgatus est, ut quin ita ille dixerit dubitari nequeat. Set restabat *oportunitates*, quod ferri nullo modo posset et tamen librorum fide munitum esset. Quid igitur veri similius quam excidisse *ob* praepositionem, id quod iam antea viros doctos intellexisse cognoscitur ex l. Rectissume igitur hoc probavit Gerlachius ed. IV praef. p. XXIII extr.

Iug. 53, 5 quae in paucis et eis deterioribus libris inventa est correctio *fessi lassique erant* [1]), ita adridet, ut non miremur quod plerique eam adripuere. At quamvis mirifice saepe scribentium lapsi sint calami, tamen quo modo *lassi* in *laeti* conrumpi potuerit, tam difficile est ad intellegundum, ut si alia pateat via, ea utique ingrediunda sit. Nonne igitur laetitia victoriae eam vim in militum animos habet, ut omnia alia neglegant? Veteres certe id opinati sunt. Nam ap. Liv. XXII 6, 9 T. Manlius Torquatus *et eum fessis* inquit *pugnando hostibus, tum victoria laetis et ipsis plerisque regressis in castra sua noctem ad erumpendum liberam habuissent* cet. Unde quo iure ego apud Sallustium post *laetique* excidisse vel *victoria* vel quod simile esset iudicem lectores statuant.

Iug. 55, 4 *ita quo clarior erat eo magis anxius erat* nemo quidquam reprehendet aut desiderabit. Set cum boni libri *eo magis animus anxius*, alii *eo magis animosior*, alii *eo animosior* exhibeant, veri non dissimile videtur in archetypo *animo anxius* scriptum fuisse. Quid quod *animo* aptissume adiectum videtur quippe quo significetur, claritudine Metelli animum non elatum set cautum et providum factum esse. Alio modo *animi anxius* dictum est Fr. inc. 75 Kr. ap. Arus. p. 216 L.

Iug. 63, 6 *consulatum* in optumis libris deest, quamquam eo vocabulo carere nullo modo possumus [2]). Nam cum Kritzius monuit, quoniam cum in toto capite, tum praecedentibus verbis *ampliore quam gerebat dignus* de consulatu sermo esset, facile id vocabulum mente sub-

1) Correctoris esse etiam inde, quod in B super *laetique* scriptum est *lassati*, adparet.

2) Ut de hoc loco statim absolvam perturbationem ordinis verborum ab mendo cod. P[1] profectam esse moneo.

pleri, et 64, 1. Cat. 21, 5. 26, 5 *petere* et *petitio* similiter dictum esse, neglexit primum haec de Mari superiore vita narrationi ab scriptore interposita esse, id quod ex *set* §. 3 adparet, tum cum in praecedentibus Sallustius non narraverit Marium praetorem fuisse, *ampliorem potestatem*, qua dignus habitus sit, quemvis maiorem magistratum esse posse, de consulatu ut cogitetur nihil prorsus cogere, denique libris manu scriptis non *petere* set *adpetere* praeberi. Scilicet his verbis ad supra dicta revorsus scriptor Marium, quamvis in eo omnes virtutes inessent, tamen consulatum, cuius ingenti cupidine exagitaretur, non modo non petere i. e. nomen inter candidatos profiteri, set ne adpetere quidem, prorsus nihil quod ad eum capiundum pertineret facere ausum esse dicit. Cfr. Cat. 14, 5. Iug. 14, 5.

Iug. 67, 1 qui consideraverit, codicum optumorum et vetustissumorum esse *Romani milites, inproviso metu, incerti ignarique quid potissumum facerent, trepidare, arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium, portae ante clausae fugam prohibebant, ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia, quae locus praebebat, certatim mittere*, praepositionem *ad* ab librariis ad subplendam mutilam orationem adiectam esse eo facilius sibi persuadebit, quod illa recepta non omnes difficultates removentur. Nam si cum Cortio *trepidare ad arcem* (Liv. IX 37, 9 *ad arma trepidantes*) coniungas, ubi illud praesidium hostium, quod fugam prohibebat, fuerit, prorsus non intellegitur. Sin Kritzii sententiam *ad arcem — praesidium hostium* coniungenda censentis probaveris, illud offendit, quod cum trium horum membrorum, quibus cur milites trepidaverint inlustratur, posteriora suum quodque verbum habeant, id in primo aegre desideratur. Qui vero *ad* eiciundum decrevere, set *arcem* ad *prohibebant* rettulere, zeugmatis genus statuere apud Sallustium certe inauditum. Quid igitur restat, nisi ut hoc loco idem accidisse indicemus, quod aliis factum esse cognovimus, ut post *hostium* verbum exciderit? quod *obsidebat* fuisse ab veri specie non prorsus abhorret, nisi forte, ut caussam omissionis veri similiorem invenias, *praecludebat* mavis.

Novo exemplo imperium belli Iugurthini ad Marium iussu populi translatum est. Quae res obscura est, cum quicumque de ea memoravere scriptores nihil aliud nisi belli ab Metello paene iam patrati imperium Mario traditum esse narraverint (vid. Freinshem. subpl. Liv. LXV 50). Metellus enim, cum a. 109 consul esset eique provincia Numidia evenisset (43, 1), comitiorum mora (44, 3) et adparatu militari (44, 2) inpeditus eo tempore in Africam venit, quo aestivorum tempus

iam imminutum esset. Et cum exercitus prius maiorum disciplina laborare cogendus fuerit, pugnam ad Muthul fluvium (48—54) et obpugnationem Zamae (56—61) a. 108 factas esse necesse est (cfr. Mommsen Hist. Rom. II p. 140 not.). Post eas res gestas in hiberna eum discessisse et senatum de provinciis consultum ei Numidiam decrevisse narrat Sallustius 61, 2 et 62, 10. Ex quo satis adparet ei inperium in annum 107 ab senatu prorogatum esse. Iam Mario vaticinium illud, quo ad petundum consulatum confirmatus est, cum *per idem tempus* editum esse dicatur (63, 1) [1], non potest nisi in hibernis ei evenisse, praesertim cum Uticae deis cum subplicavisse Sall. referat. Cum petitio missionis aliquamdiu ab Metello reiecta et tandem cum bellum tamquam integrum pararetur dimissus sit, necessario statuendum est eum non multum ante comitia consularia — fortasse eo anno ut superioribus per tribunos inpedita — Romam venisse, nec minus proelium, quo rursus Iugurtha victus est, expugnationem Thalae, denique foedus ab Numidarum rege cum Boccho initum a. 107, quo Marius consul fuit, facta esse. His factis demum Metellus provinciam Numidiam Mario datam esse conperit (82, 2). Manufestissumum ergo est Metello inperium non a. 107, set in a. 106 abrogatum esse, id quod praeclarissumus rerum Romanarum inlustrator Th. Mommsenius (II p. 145 extr.) verissume contendit. Id confirmatur etiam eo, quod si ante quam Iugurtha ad Bocchum confugere coactus esset Metello provincia adempta esset, non recte iam parta victoria ei erepta (82, 3) nec magis bellum paene patratum (Vellei. II 11) diceretur. Quod si T. Manli Mancini rogatione Mario in annum 106 belli Iugurthini inperium datum esse certum est, Sallustium rem non prorsus cognitam habuisse inde adparet, quod eum consulem bellum gessisse narravit, quamquam id quidem levius est, quoniam adeo ubi de rebus certe non ante a. 106 extremum gestis commemoravit (103, 4. 104, 2. 109, 2), neglegentius eundem consulem adpellavit. At valde dolendum est, quod quid de ipsa ademptione provinciae narraverit, nescimus. Nam Iug. 63, 7 archetypum mutilum fuisse elucet, quia vetustissumi libri omnes nil nisi *set paulo decreverat* exhibent, et quae ex aliis libris in var. scr. et supra p. 13 n. 1 protuli, librariorum commenta esse vel ex ordinis verborum gravibus perturbationibus adparet. Set si quid scriptum fuerit divinare velimus, eo magis cautio adhibenda est, quod ne turpissumum errorem scriptori adfingamus verendum est. Nam si nihil aliud scriptum fuisse

1) Plut. Mar. 8 ante quam dimissus ab Metello Uticae navim adscenderet, subplicationem illam factam esse commemoravit.

opineris nisi Metello Numidiam provinciam ab senatu decretam fuisse, facile videatur senati decretum, quod ipse 62, 10 conmemoravit, cum altero posteriore confudisse. At provinciam ei prorogatam fuisse, cum ex eis verbis Sallusti adparet quae nobis servata sunt, tum inde quod nisi inperium in a. 106 prorogatum fuisset idque futurum esse tantum sperasset, non potuit contumeliam sibi factam indignissumam conqueri (vid. orat. eius ap. Gell. XII 9. Sall. Iug. 82, 3). Set cum omnia circumspicimus, vestigium invenimus, quod viam ostendat, qua ad veri similem coniecturam veniatur. Recentior enim primi generis librorum familia uno consensu *set senatus paulo decio decreverat* praebet. Quod ab librariis fictum esse cum prorsus incredibile sit, neque illo tempore Decius homo inlustris et praeclarus fuerit, in archetypo fuisse, unde *decio* conruptum sit, manufestum est. Atque in promptu coniectura est, illud *denuo* fuisse. Res igitur hoc modo videntur actae esse: Cum Marius consul factus esset, senatus quamvis lege Mamilia nobilitas fusa et Mari petitione perculsa esset (65, 5 et 73, 7), tamen quo vel Metelli famam defenderet, vel id quod veri similius, Mari inportunitati et partium studiis resisteret, Metello imperium prorogandum decreverat. Qua re exacerbatus T. Manlius Mancinus ad populum tulit eiusque iussu inperium belli Africani ad Marium translatum est. Quae suspicio duobus argumentis confirmatur. Primum enim eum qui illa aetate populum tractabant, G. Memmius, G. Mamilius, alii cum summa modestia et continentia et ita ut leges ipsi diligentissume observarent, nobilitatem inpugnaverint, eos sperasse fore ut sua sponte senatus Mario Numidiam decerneret, et tum demum cum contra spem ne Metello succederetur decretum esset, rationem asperiorem iniisse prorsus credibile est. Tum Marius postquam ad eum imperium delatum est, tam vehementer in nobilitatem ea oratione, quam Sallustius c. 85 perscripsit, ingressus est, ut necessario statuendum videatur eum, cum multum de eius ingenio ac virtute agitatum esset, exacerbatum fuisse. Quae si probaverimus, manet in Sallustio illud obprobrii eum in temporibus observandis minus diligentem fuisse, set res adcurate eum explorasse cognoscitur.

Iug. 78, 2 *quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa* plerique interpretes *uti fors tulit* et *alia in tempestate* inter se aequata esse dixere summamque scriptoris artem orationis variandae admirati sunt. At mea quidem sententia fors utramque tempestatem, et qua alta et qua vadosa fiunt cetera loca, conplectitur, nec minus apertum mihi videtur, ea

quae forte mutentur, eis locis obponi quae semper praealta sint. Quam autem olim ipse inii expediundae difficultatis rationem, cum *alius* semel poni et ad praecedens membrum audiri dixi, eam nunc quidem abiiciundam censeo, quippe cum intellexerim, prorsus divorsa ab hoc loco ea exempla esse, in quibus cum antea de toto dictum est, tum de parte aliquid singulare adicitur (Liv. V 21, 4. Nipperdei ad Tacit. ab exc. d. Aug. I 17, 1). Igitur iam librorum manu scriptorum natura melius perspecta facile ad eam sententiam adductus sum ut *alia* excidisse statuerem. Quod cum exhibeant g$^2$ et I, tamen audacius aliquis inde eos ex meliore exemplari quam relicuos libros exscriptos esse opinetur; cautius videtur iudicare librarios quosdam quid sententia postularet acute perspexisse. Ceterum illi emendationi non nihil commendationis accedit ab chiasmo, cuius Sallustium studiosissumum fuisse constat.

Iug. 81, 2 qui verba *eis atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod ibi Metellus praedam captivosque et inpedimenta locaverat*, uti volgo eduntur, legerit, profecto nemo offendet. Set multi eique boni libri *ibi Q. Metellus* praebent neque intellegitur quid tandem librarios movere potuerit, uti contra scriptoris constantem morem praenomen hoc loco adicerent. Scilicet cum in nonnullis libris atque in omnium antiquissumo P scriptum sit *ibique*, manufestum est, in archetypo id quod ad *ibique* adiunctum esset, excidisse et cum *q'* quid sibi vellet, non perspiceretur, inde praenomen illud factum esse. Et quid? num incredibile est, Metellum praedam, captivos, inpedimenta per conplura loca divisa conlocasse, praesertim cum inperatoris prudentiae sit cavere, ne captivi, si maiore numero in unum locum congregati sint, vel fugae vel tumultus occasionem inveniant. Quod si tale aliquid, ut *et in vicinis castellis* excidisse statuerimus, simillumus huius loci color est 89, 7 *id ibique et in omni Africa* cet.

Iug. 92, 11 cum verbum in altera parte codicum vetustissumorum prorsus omissum sit, in altera *peregit* legatur, set in P$^1$ posteriore manu additum, hoc non minus quam *patravit*, quod in paucis esse memoriae proditum est, non ex archetypo haustum, set ab ipsis librariis inventum esse, verbum in illo obscuratum fuisse aut excidisse adparet. Quod si in tali discrepantia, id quod minus consuetum est, quoniam inlustratione egere videbatur, ceteris praeferundum esse recte criticae artis magistri praecipiunt, quod in m inventum est *effecit* recipiundum videtur. Nam

insolentius dici *tantam rem effecit* nemo negabit, set simili modo Cic. Phil. II 42, 109: *statimque illa mirabilia facinora effecit.*

Pergo ad eum locum Iug. ubi libros manu scriptos lacunosos esse, quo est ingeni acumine primus ostendit Linkerus (Em. zu Sall. Vindob. 1854), c. 93, 8. Nam quamvis ex eis, quae infra narrantur, satis adpareat, quae Marius ad capiundum castellum Ligure auctore et duce instituit eo spectasse, ut Numidae ab tergo terrerentur magis quam inpugnarentur (94, 5), et quamvis cum aliis ex rebus, tum ex ipsa descriptione adscensionis (94, 2) exiguum numerum escendentium fuisse luce clarius sit, tamen quinque tubicinibus non plus quattuor centuriones praeter Ligurem comites datos esse eum per se incredibile videtur tum Frontini testimonio (Strateg. III 9, 3) redarguitur, quem quamquam Sallusti verba multis modis contraxisse et variasse manifestum est, tamen in re ab illo aberrasse prorsus ab omni veri specie abhorret.* Quare Linkerus emendationem ab Oudendorpio propositam, set postea abiectam recepit: *itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque militesque quam velocissumos delegit* cet. Quam sententiam, quamvis Kritzius adsensus sit, quo minus conprobem his caussis inpedior. Primum enim verba *praesidio qui forent* illud quod Linkerus voluit, qui praeessent et consilio negotium regerent, simul ne quid temere fieret caverent, significare nullo modo concedere possum. Nam *praesidere* recte is dicitur, qui in aliqua regione cum inperio est, quo aut hostium incursiones defendat aut seditiosos coerceat et obprimat, ut Cat. 57, 2 *Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat* et Fr. II 28 (Metellus) *Titurium legatum cum cohortibus XV in Celtiberia hiemem agere iussit praesidentem socios* (cfr. praeterea Mützell. ad Curt. III 1, 20. V 2, 16); qui militibus in expeditione ita praesunt, ut ipsi neque stationem habeant, neque certam partem vel regionem curent, set suam operam adhibeant, *praesides* adpellari nequeunt. Et quos tandem ab centurionibus illis quattuor consilio rectos opineris, cum Liguri omnes parere G. Marius iusserit? An fortasse centuriones adiuncti sunt, ut ne aeneatores atque milites Liguri oboedire recusarent caverent? Profecto cum verbis *praesidio qui forent* eos significatos esse, qui tubicinibus, ne dum signa canerent inermes adeo ab infirmissumo genere occiderentur, volnerarentur, deturbarentur, armati additi essent, constans enim omnium scriptorum tum Sallusti usus demonstret, vocabulum *milites* non eo loco, quo Linkerus censuit, excidisse, set cum *centurionibus* coniunctum fuisse certissumum videtur. Tum quod in l *milium*, in h *milia* post *quinque*

scriptum est, parum grave est argumentum, cum G ostendat id supra scriptum fuisse, scilicet ab eo cui numerus nimis parvus visus esset. Certe inde non magis aliquid certi effici potest, quam ex scriptura codicis $g^1$ *quinque pedites numero* aut ex superscripto in $g^2$ *multi duū*. Quamvis igitur mihi veri similius videatur *milites paucos et* inter *praesidio qui forent* et *quattuor centuriones* excidisse, tamen tantum abest, ut Linkeri, viri amicissumi, laudem minutam velim, ut per eum mihi viam rationemque demonstratam esse libere atque ingenue profitear.

In Sulla c. 95, 3 dicitur fuisse *ad simulanda negotia altitudo ingeni incredibilis*. Altitudinem ingeni igitur Graecorum *βαθύτητα* esse, eum habitum ex quo nullo modo quid vere mente agitetur cognosci possit, rectissume ab Kritzio ostensum est (add. nunc. Döderl. ad Tacit. Hist. IV 86. Nipperdei ad Tac. ab exc. d. Aug. III 44. Alio modo altitudinem animi dictam esse Cic. ad Fam. III 10, 10. IV 12, 2 ostendit Fabrius). Verum enimvero ea ingeni virtus plerumque in celaudis animi permotionibus cernitur. Quod secum reputans Kritzius sive coniectura sive ad codd. $s^2g^5r$ fidem in novissuma editione *ad dissimulanda negotia altitudo ingeni incredibilis* scripsit. Set quamvis *dis* in omnibus vetustioribus libris omissum ac vitium in recentissumis demum correctum esse minume incredibile videatur, tamen cum verba illa ad rationem qua Sulla in eos, quibuscum consuetudinem quandam haberet, se gesserit pertinere ex eis cum quibus connexa sunt adpareat atque adeo inlustrari et amplificari calliditatis notionem, ut sequentia verba ad *amicitia facilis* spectare facile intellegatur, parum dictum videtur, si eum quae animum moverent atque angerent, prorsus recondidisse summaque constantia celasse significetur. Immo prudentia ac calliditas in hominum consuetudine non dissimulando solum, verum etiam simulando ostenditur et ad utrumque altitudo ingeni necessaria est, quippe qua ne vera animi sententia perspiciatur inpediatur. Set quid *negotia?* Num eadem sunt, a quibus eum numquam voluptatem remoratam esse supra scriptor dixit? Profecto eadem, set ut magis animi agitatio et permotio, quae cum negotio coniuncta est ('Interessen'), quam agundi et perficiundi difficultas ac labor prematur. Ac qui vere callidus est, non modo sese aliquid studiose cupere simulare, quam quarum rerum adpetens sit dissimulare potest. Nonne igitur hoc ab Sallustio dicendum videtur fuisse: in Sulla summa calliditas fuit, quippe animi permotiones non minus simulare quam dissimulare ita potuit, ut nemo veram animi sententiam perspiceret, vel ut ipsius Sallusti verbis utar, fuit in eo animus cuius rei lubebat simulator ac dissimulator (Cat.

5, 4)? Quidui igitur simili lapsu, quo iam alios in libris vetustioribus omnibus errores natos esse vidimus, post *simulanda* excidisse *ac dissimulanda* statuamus?

Iug. 100, 1 vetustiorum librorum scripturam *Dein Marius uti coeperat in hiberna propter conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat* non ita posse defendi ut ellipsis statuatur rectissume ostendit W. Kergelius N. Ann. LXXIII p. 451. Set in archetypo iam lacunam fuisse ex magno librorum primi generis consensu manufestum est, atque in illo verba obscurata fuisse ex P scriptura satis certo concludi videtur posse, quippe in quo etiam vocabula *ceperat hyberna* supra lineam scripta sint, ita ut adeo *in* ab librariis suo marte subpletum videatur. Antiquissumus liber, in quo lacunae explendae periculum factum invenitur, B est; nam si illud, quod in eo fuit, in archetypo perspicue scriptum fuisset, prior pars verbi credo non erasa esset, ex cuius rasurae ambitu *pergit* potius quam *proficiscitur* illud fuisse veri simile videtur [1]. Inde natum est *it*, quod ab $P^2$ per recentiores plerosque libros propagatum est, quod ferri vix posse recte Kergelius l. c. contendit. Set *proficiscitur*, quod nonnulli recentioris aetatis libri exhibent, vere ab Sallustio scriptum esse concedere non possum quia, ut in archetypo ab *proficiscitur* ad *propter* ob litterarum similitudinem aberratum esse non prorsus ab veri specie abhorrere largiar, tamen scriptoris diligentiae fuit, ut Marium in itinere perrexisse potius, a proposito suo (uti *coeperat)* proelio illo non abductum esse diceret, quam eodem verbo, quo supra 97, 3, uteretur, praesertim cum in eo itineris incipiundi magis quam continuandi notionem inesse ostenderim Obss. critt. in Iug. partem extr. Grimae 1845 p. 17. Etiam multo minus *quae* quod in eisdem recentioribus libris — set non omnibus — inditum est, ab Sallustio scriptum esse persuadere mihi possum, cum neque exemplum noverim, ubi *hiberna agere* dictum sit, id quod eo maiorem dubitationem conmovet, quia hiberna, i. e. castra hiberna, habentur potius quam aguntur, et Sallusti consuetudinis consideratio eo potius ducat, ut *agere* absolute dictum esse exspectemus. Igitur quid Sallustius scripserit, in incerto relinquendum est eo magis, quod quamquam unum tantum verbum excidisse veri simile est, tamen plura omissa esse nullo certo argumento negari potest.

1) Quod in $P^3$ superscriptum est *id*, inde luce clarius adparet in eo exemplari, unde uterque liber transscriptus est, quod sive ad marginem, sive super lineam sive in textu scriptum esset, legi non potuisse. Vid. sup. p. 5.

Iug. 108, 2 ante *quo res conmunis licentiūs gereretur* aliquid, certe integrum versum excidisse, iam olim Obss. critt. p. 30 sq. contendi. Quam sententiam, cui Kritzius adstipulatus est, cur nunc abiiciam, nullam caussam video. Nam quae ad defendundum *quo* prolata sunt ab Iacobsio et Wagnero (Ztschr. für das G. W. IX p. 799 sq.), et linguae latinae legibus repugnant et eo refutantur, quod cum sequatur *nam ab insidiis eius aliter caveri nequivisse*, Sallustium cur legatum Iugurthae Bocchus admisisset, non praeternisisse manufestum est, id quod acute perspexerunt ei librarii qui suo marte lacunam explere conati sunt. Quo argumento simul Gronovii coniectura *quin* reicitur. Ceterum cum hic locus testimonio sit, exemplar, unde posteriores librarii conplementum amplae illius lacunae, quae vetustissumos omnes libros insedit, accepere, eadem natura fuisse, atque illud, unde reliqua propagata sunt, ea quam supra dixi sententia, omnes libros manu scriptos unam eandemque originem habere, confirmatur.

De eis locis, ubi ex vetustioribus libris quod in reliquis omissum recipiundum videatur, infra disputabo. Ceterum non omittam uno loco praeterea mihi visum esse aliquid excidisse. Iug. 18, 7 Numidarum nominis originem Sall. declaraturus haec scripsit: *Ei* (Persae) *paulatim per conubia Gaetulos secum miscuere et quia saepe temptantes agros alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi nomadas adpellavere.* Nomadas ab scriptore scriptum fuisse cum vetustissumi eidemque optumi libri contestantur, tum inde manufestum est, quod si id vocabulum non posuisset, nemo facile quid sibi vellet intellecturus fuit. Nihilo minus mirum est, si S. id ipsum nomen, cuius originationem ostendere velit, ne conmemoraverit quidem. Quod me in eam mentem inpulit, ut scribundum arbitrarer *semet ipsi Numidas i. e. nomadas adpellavere.* Set quamvis ei coniecturae aliquid conmendationis ab eis libris adcedere videretur, qui pro *nomadas* exhibent *Numidas,* superscripto *vel instabiles,* tamen de ea re aliis indicium permittere malui, eo magis, quod Sallustius id, quod dubitationem moveret, verbis infra 11 *ac postea nomine Numidae* scriptis ipse removisse videri posset.

Quicumque Sallustium adtente legerit, cum ab conmuni consuetudine Romanorum, ut ubi aliquis primum nominaretur praenomen praemitteretur, non recessisse multis locis exploratum habebit. Qua re non dubitavi Iug. 15, 3 *M.* contra omnis libros inserere, quamquam fateor, mihi melius placere *M. Scaurus,* ut 25, 4 nominatus est, ut *Aemilius* potius glossema sit; contra 28, 4 praenomen non aegre desideramus.

Nec Iug. 43, 1 *Q.* et *M.* omitti potuere et 50, 1 *P.* ex libris quamvis paucissumis recipiundum fuit. Iug. 73, 5 quamquam in eo libri variant, tamen praenomen ab Sall. additum fuisse certum est; ego equidem optumos libros secutus *T.* scripsi. Ceterum mirum est Iug. 37, 3. 38, 2 et 4. 39, 1. 43, 1 pro *Auli* nomine in antiquissumis libris aut *Albini* inveniri aut certe id adscriptum esse. Quod nonne documento est, ab Sallustio ubique scriptum fuisse *A. Albinus*, quem ad modum 44, 1 ut frater distingueretur *Sp.* additum est? Quippe insolitum est aliquem per solum praenomen significari nisi in familiari sermone.

---

## Cap. III.

## De transpositionibus.

Librarii cuiusdam levitate in conpingendis foliis archetypi gravissumum errorem in libro de Catilinae coniuratione per omnes codices propagatos esse, nuper duo viri docti insigni ingeni acumine praediti censuere. De qua re ut recte disputatio procedat, primum quae de rebus c. 27—32 narratis ex certis testimoniis constent, exponunda videntur.

Cum igitur Catilina sese consulatum in a. u. 692 (a. C. 62) petiturum palam profiteretur, Cicero petitionem eius lege de ambitu perlata inpedire conatus est (Cic. pr. Mur. 32, 67. Schol. Bobi. ad Cic. or. pr. Sulla p. 362 ed. Orell. ubi in adnotatione relicua scriptorum testimonia conlecta sunt), atque eodem referente senatus, sperans fore ut interea nefaria coniurationis consilia patefierent, comitia in a. d. XII Kal. Nov. (21. Oct.) distulit (Drum. V p. 448. Halm. praef. ad. Cic. or. in Catil. p. 10). Quae quamvis advorsus se instituta esse persentiret, tamen Catilina non modo alacer atque laetus omnia agitare perrexit, set etiam Catoni iudicium minitanti ac denuntianti respondit, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum id se non aqua set ruina restincturum (Cic. pr. Mur. 24, 49. 25, 51). Cum iam percrebruisset Catilinam comitiorum die in Campo cum armatis in consulem inpetum facturum esse, Cicero a. d. XIII Kal. Nov. (20. Oct.) ad senatum rei publicae periculum rettulit et senatus consultum factum est: ne postero

die comitia haberentur, ut de eis rebus in senatu agi posset (Cic. pr. Mur. 25, 21). Eo iam die, a. d. XII Kal. Nov. (Cic. in Cat. I 3, 7), cum Catilina in senatu adesset, Cicero palam quae conperuerat, a. d. VI Kal. Nov. G. Manlium in armis futurum, ipsum Catilinam caedem optumatium in a. d. VII Kal. Nov. distulisse, enuntiavit, illumque excitatum de eis rebus, quae ab se adlatae essent, si quid vellet iussit dicere (Cic. pr. Mur. 25, 51). Ad quod cum ille ferociter atque audacter respondisset, senatum decrevisse viderent consules ne quid res publica detrimenti caperet, Ciceronis testimonio constat, qui in Cat. I 2, 4 se ipse accusat, quod iam vicesimum diem hebescere patiatur aciem patrum auctoritatis, quibus verbis ipsum illud senatus consultum significari ex eis quae ante cesserunt manifestum est. Eius testimoni fidem eo non infringi quod Ascon. in Cic. or. Pis. p. 6 ed. Or. *cum octavus decimus dies esset* scripsit, qui latini sermonis peritus est, intelleget. Nec magis repugnant, quae Cic. pr. Mur. 25, 51 dixit, senatum frequentem congemuisse neque tamen pro rei indignitate satis severe decrevisse, cum quare illi ita visum esset, enucleate Drum. V p. 450 ostenderit. Iam comitia consularia a. d. V Kal. Nov. (28. Oct.) habita esse inde luculentissume adparet (Halm. l. c. p. 11), quod Cic. in Cat. I 3, 7 caedem in eum diem ab coniuratis dilatam esse adfirmat (cfr. Cic. in Cat. I 5, 11. pr. Mur. 26, 52. pr. Sull. 18, 51). Paucis diebus post litteras ab Saenio in senatu recitatas esse, nec minus alios de motu, qui extra urbem factus esset (Q. Arrius ap. Plut. Cic. c. 16), rettulisse, ac tum ea decreta esse, quae Sall. c. 30 narravit, ita ex re ipsa elucet, ut nihil prorsus dicendum videatur. De rebus, quae secutae sunt, conventum illum penes M. Porcium Lecam *nocte ea quae secuta est posterum diem nonarum Novembrium* factum esse Cic. testatur pr. Sull. 18, 52. Mane igitur a. d. VII Id. Nov. (7. Nov.) G. Cornelius et L. Vargunteius Ciceronem domui suae inparatum confodiundum frustra suscepere et postero die Cicero eam orationem in senatu habuit, qua Catilina ut urbe exiret permotus est (recte de ea re disputavit Halm. l. c. p. 12 n. 55).

Ita eas res actas esse cum certissumis testimoniis, quae omni dubitatione exempta sint, constet, Sallustius eas ita confuso ordine enarravit, ut non erroris, set neglegentiae crimen merito ipsius ei obprobrio dari videatur. Quo probro eum liberare Linkerus Em. Sall. p. 5 — 15 studuit ita ut, librariis illam confusionem tribuendam censens, scriptoris verba transpositione emendanda putaret. Quam sententiam I. G. Ottema disp. de loco Sallustii in bello Catilinario c. 27 — 31 transpositione

emendando Leeuwardi a. 1855 edita confirmavit, cum qua ratione factum esset ut foedum illud vitium libros omnes inquinaret ostendit. Censuit enim archetypi folia ita scripta fuisse:

Fol. I p. 1.

effecerat uti Q. Curius de quo paulo | ante memoravi consilia Catilinae sibi | proderet: ad hoc collegam suum An|tonium pactione provinciae perpulc|rat, ne contra rempublicam sentiret: | circum se praesidia amicorum atque | clientium occulte habebat. Postquam | dies comitiorum venit et Catilinae | neque petitio neque insidiae, quas | consuli fecerat, prospere cessere, | constituit bellum facere et extrema | omnia experiri; quoniam, quae occulte | tentaverat,

p. 2.

aspera foedaque evenerant. || Igitur Caium Manlium Faesulas atque | in eam partem Etruriae, Septimium | quendam Camertem in agrum Picenum, | Caium Iulium in Apuliam dimisit; | praeterea alium alio quem ubique o|portunum sibi fore credebat. Interea | Romae multa simul moliri, consuli in|sidias tendere, parare incendia, opor|tuna loca armatis hominibus obsidere; | ipse cum telo esse, item alios iubere, | hortari uti semper intenti paratique es|sent; dies noctesque festinare, vigilare, | neque insomniis neque labore fatigari. ||

Fol. II p. 1.

Interea Manlius in Etruria plebem sol|licitare, egestate simul ac dolore in|iuriae novarum rerum cupidam, quod | Sullae dominatione agros bonaque | omnia amiserat; praeterea latrones | cuiusque generis, quorum in ea re|gione magna copia erat; nonnullos | ex Sullanis colonis, quibus lubido | atque luxuria ex magnis rapinis ni|hil reliqui fecerant. Ea cum Ciceroni | nuntiarentur, ancipiti malo permotus | quod neque urbem ab insidiis privato | consilio

p. 2.

longius tueri poterat, neque || exercitus Manlii quantus aut quo con|silio foret satis compertum habebat, | rem ad senatum refert iam antea vulgi | rumoribus agitatam. Itaque, quod ple|rumque in atroci negotio solet, sena|tus decrevit: darent operam consules | ne quid respublica detrimenti caperet. | Ea potestas per senatum magistratui | maxima permittitur, exercitum pa|rare, bellum gerere, coercere omni|bus modis socios atque cives, domi | militiaeque im-

Fol. III p. 1.

perium atque iudici|um summum habere; aliter sine po||puli iussu nullius earum rerum con|suli ius est. Post paucos dies Lucius | Saenius senator in senatu literas re|citavit, quas Faesulis allatas

sibi di|cebat, in quibus scriptum erat, Caium | Manlium arma cepisse cum magna | multitudine ante diem VI Kalendas | Novembres. Simul, id quod in tali re | solet, alii portenta atque prodigia nun|tiabant, alii conventus fieri, arma por|tari, Capuae atque in Apulia servile | bellum moveri. Igitur senatus decreto | Quintus Marcius

p. 2.

Rex Faesulas, Quintus || Metellus Creticus in Apuliam circum-|que ea loca missi, hi utrique ad ur|bem imperatores erant, impediti ne | triumpharent calumnia paucorum, qui|bus omnia, honesta atque inhonesta, | vendere mos erat, sed praetores Quin|tus Pompeius Rufus Capuam, Quintus | Metellus Celer in agrum Picenum, his|que permissum uti pro tempore atque | periculo exercitum compararent. Ad | hoc si quis indicavisset de coniurati|one, quae contra rempubli-

fol. IV p. 1.

cam facta | erat, praemium servo libertatem et || sestertia centum, libero impunitatem | eius rei et sestertia ducenta, itemque | decrevere, uti gladiatoriae familiae | Capuam et in cetera municipia dis|tribuerentur pro cuiusque opibus, Ro|mae per totam urbem vigiliae habe|rentur, iisque minores magistratus | praeessent. Quibus rebus permota ci|vitas atque immutata urbis facies | erat, ex summa laetitia atque las|civia, quae diuturna quies pepererat, | repente omnes tristitia invasit: fes|tinare, trepidare, neque loco neque ||

p. 2.

homini cuiquam satis credere; neque | bellum gerere, neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad | hoc mulieres, quibus rei publicae mag|nitudine belli timor insolitus incesse|rat, adflictare sese, manus supplices ad | coelum tendere, miserari parvos libe|ros; rogitare, omnia pavere, superbia | atque deliciis omissis sibi patriaeque | diffidere. At Catilinae crudelis animus | eadem illa movebat, tametsi prae|sidia parabantur et ipse lege Plautia |

fol. V p. 1.

interrogatus erat ab Lucio Paullo. || Postremo ubi multa agitanti nihil | procedit, rursus intempesta nocte | coniurationis principes convocat pe|nes Marcum Porcium Leccam, ibi|que multa de ignavia eorum ques|tus docet se Manlium praemisisse | ad eam multitudinem, quam ad ca|piunda arma paraverat, item alios | in alia loca oportuna qui initi|um belli facerent, seque ad exer|citum proficisci cupere, si prius | Ciceronem oppressisset; eum suis | consiliis multum officere. Igitur || perterritis ac dubitantibus ceteris | Caius

p. 2.

Cornelius eques Romanus o|peram suam pollicitus et cum eo | Lucius Vargunteius senator consti|tuere ea nocte paullo post cum | armatis hominibus sicuti salutatum | introire ad Ciceronem ac de improvi|so domi suae imparatum confodere. | Curius ubi intelligit quantum peri|culum consuli impendeat, propere per | Fulviam Ciceroni dolum qui paraba|tur enuntiat. Ita illi ianua prohibiti | tan-
fol. VI p. 1.
tum facinus frustra susceperant. || Postero die dissimulandi causa Ca|tilina aut sui expurgandi, sicuti iur|gio lacessitus foret, in senatum ve|nit. Tum Marcus Tullius consul sive | praesentiam eius timens sive ira com|motus orationem habuit luculentam | atque utilem rei publicae, quam post|ea scriptam edidit. Sed ubi ille asse|dit, Catilina ut erat paratus ad dis|simulanda omnia, demisso vultu voce | supplici postulare a patribus coepit, | ne quid de se temere cre-
p. 2
derent: ea fa|milia ortum, ita ab adolescentia vitam || instituisse, uti omnia bona in spe | haberet; ne existimarent sibi, patri|cio homini, cuius ipsius atque maio|rum plurima beneficia in populum Ro|manum essent, perdita republica opus | esse, cum eam servaret Marcus Tul|lius, inquilinus civis urbis Romae. Ad | hoc maledicta alia cum adderet, ob|strepere omnes, hostem atque parrici|dam vocare. Tum ille furibundus: | Quoniam quidem circumventus, in|quit, ab inimicis praeceps agor, | incendium meum ruina restinguam.

Censuit igitur cum fol. V errore quodam inter fol. I et II intersertum esset, confusionem illam rerum ac temporum ortam ac per omnes libros manu scriptos propagatam esse. Cui sententiae quamvis adstipulari cupiam, quippe cum ita scriptor, quem unum omnium maxume diligo, gravi obprobrio liberetur, et quamvis verendum sit, ne nonnullis eo acumine eaque libertate ingeni, quae criticum deceant, carere videar, tamen quae mihi obstare videantur exponam.

Ut igitur ab codicibus ordiar, si illa sententia probetur, necesse est, archetypum ex singulis foliis compositum fuisse, quae inter se conglutinata aut filis consuta essent. Nam aliter fieri non potuit, ut unum folium falso loco insereretur, nisi alterum simul locum suum commutaret. Num vetustissimorum codicum constanter ea conditio fuerit ut discernant, eis permitto, qui illarum rerum me peritiores sunt; mihi quidem praesertim in tam minuta forma, qualem illius libri fuisse statuendum sit, id veri simile non videtur.

Deinde si ab eodem archetypo, qui in caussa huius confusionis

fuisse dicitur, amplae illius lacunae, quae in Iugurthae parte extrema omnes libros vetustiores insedit, repetunda videatur, cum quae illic exciderunt, per lineas paris amplitudinis atque Ottema statuit dividuntur, efficiuntur lineae 257, ad summum 258, quibus paginae 20 sive folia decem non prorsus explentur. Sed fateor illud discrimen non tantum esse, ut propterea sententia illa reiciunda videatur, praesertim cum fieri potuerit, ut lacuna illa ex alio exemplari, quod ad archetypum exaratum esset, oreretur. Atque omnino, modo aliqua ratio probabilis, qua error natus esse videatur, ostenta fuerit, si certa argumenta vitiatos libros esse planum faciant, emendationis conatus non pro audaciore incepto habendus est.

At gravioris momenti est, quod illa transpositio probari nequit, nisi verba commutentur, nisi c. 31, 5 pro *postremo* scribatur *postero die* et *Catilina* inseratur. Admirabile profecto esset, si commutatio verae scripturae, quam ab emendatore factam esse apertissumum esset, ita propagata esset, ut ne minimum quidem illius vestigium in libris manu scriptis remansisset. Tum rursus cogeremur statuere, omnes nostros libros ex correcto quodam exemplari, quod unum ex archetypo confectum exstitisset, originem ducere. Librorum autem scripturis *aut sui, ut sui, et ut sui, ut et sui, ac sui* neutiquam confirmari Linkeri suspicionem, nomen *Catilina* excidisse, alio loco demonstrabo. Illud ergo intellegetur ab libris non nihil obstare, quo minus transpositio sine omni dubitatione conprobetur.

Igitur cetera argumenta, quibus Linkerus usus est, exploranda videntur, ac primum quidem eos scriptores consideremus, quos ille ex Sallusti libro hausisse atque alio ordine, quam is est qui in codicibus servatus, res enarratas in illo legisse contendit. Iam quoniam Florum, quem quae de Catilinae bello II 12 narrat ex Sallusti libro excerpsisse apertum est, ipse recte Linkerus exclusit — nihil enim quod ad hanc quaestionem pertineat, apud eum legitur —, tres scriptores graeci explorandi sunt, Plutarchus, Appianus, Cassius Dio. Plutarchi una Ciceronis vita in censum vocanda est, quoniam in ea sola de his rebus copiosius scripsit, in aliis tantum modo quae ad singulos homines pertinerent tetigit.

Is igitur Cic. c. 14 haec scribit: *οὗτοι γὰρ ἡγεμόνα Μάλλιον ἔχοντες, ἄνδρα τῶν ἐπιφανῶς ὑπὸ Σύλλᾳ στρατευσαμένων, συνίσταντο τῷ Κατιλίνᾳ καὶ παρῆσαν εἰς Ῥώμην συναρχαιρεσιάσοντες.* Nullum de ea re apud Sall. verbum. Pergit ille: *ὑπατείαν γὰρ αὖθις μετῄει βεβουλευμένος ἀνελεῖν τὸν Κικέρωνα περὶ αὐτὸν τῶν ἀρχαιρεσιῶν τὸν θόρυβον.*

Haec ab Sallustio, non aliunde petita esse nemo contendet. Quae sequuntur verba ἐδόκει δὲ καὶ τὸ δαιμόνιον προσημαίνειν σεισμοῖς καὶ κεραυνοῖς καὶ φάσμασιν, fortasse aliquis contenderit ex illis Sallusti 30, 2 *simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant* hausta esse, set nulla caussa cur aliunde sumpta esse negemus, eoque minus, quod longe alia quam apud Sallustium sequuntur. Relicua enim, quae eo capite narrantur, ex Cic. or. pr. Murena c. 25 et 26 sumpta esse, facile qui utriusque scriptoris verba inter se conparaverit sibi persuadebit, nec quemquam credo fore, qui id propterea neget, quod *in senatu Catilinam excitavi* Plutarchus ὁ Κικέρων ἐκάλει τὸν Κατιλίναν εἰς τὴν σύγκλητον interpretatus est. Quid quod inde perspicitur, quo modo factum sit, ut illud senatus consultum *darent operam consules* cet. postea demum c. 15 extr. conmemoraverit. Quippe cum Cicero *congemuit senatus frequens neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit* dixisset, animum inducere non potuit, ut iam tum maxumam eam potestatem illi permissam esse crederet. In his ergo nihil est cur Plutarchum Sallusti libro in enarrandis his rebus usum esse contendas. Transgrediamur ad c. 15. Quae de litteris ab M. Crasso, aliis nobilibus viris ad Ciceronem perlatis narrantur, de eis Sallustius nihil, neque inprobabilis videtur Drumanni (V p. 458) sententia, ea ex Ciceronis quadam oratione, nobis non servata, sumpta esse. In eis, quae statim subsequuntur καὶ Μάλλιος ἀπηγγέλλετο σὺν χειρὶ μεγάλῃ περὶ τὰς πόλεις ἐκείνας αἰωρούμενος ἀεί τι προσδοκᾶν καινὸν ἀπὸ τῆς Ῥώμης, si quis ex Sall. *post paucos dies L. Saenius* ect. sumpta opinetur, mirum profecto videatur, cur Plutarchus cum Q. Arrium ex alio scriptore conmemorandum putasset, quem Sallustium nominaverat silentio praeterire voluerit. Set res eo conficitur quod statim post hos nuntios adlatos Plutarchus γίνεται δόγμα τῆς βουλῆς παρακατατίθεσθαι τοῖς ὑπάτοις τὰ πράγματα pergit, Sallustius id antea narravit. Qua re lubenter concedam, si quis quae adiecit τοῦτο δ' οὐ πολλάκις, ἀλλ' ὅταν τι μέγα δείσῃ, ποιεῖν εἴωθεν ἡ σύγκλητος non suo marte addidisse, set Sallusti illa *ea potestas — consuli ius est* in brevius contraxisse contenderit. Quod si Plutarchus post praesidia ad tutandam urbem atque Italiam parata insidias Ciceroni mane a. d. VII Id. Nov. intentas conmemoravit, ergo eum ordinem rerum observavit, quem Linkerus et Ottema apud Sallustium restituendum censuere, tamen cum res ita gestas esse ex Ciceronis orationibus cognoscere potuerit, cum in nominibus ab illo dissentiat — nam Linkeri coniectura (p. 10 n. 1) Μάρκιον καὶ Κέθηγον ex Οὐαργουντήϊον con-

rupta esse et Cornelii nomen excidisse, audacior videtur[1]) —, eum denique verba *ὡς ἀσπαζομένους* cur ex Sallusti *sicuti salutatum* potius quam ex Cic. pr. Sull. 18, 52 *consulem salutatum* interpretata credamus nulla caussa videatur, nec magis *οὐκέτι καρτερῶν τὴν μέλλησιν* illa Sallusti *multa de ignavia eorum questus* reddant, nihil inde de condicione, qua Sallusti liber eius aetate fuerit, concludi posse manufestum est. Postremo ut largiar Linkero, Plut. c. 16 *ὡς ἀπολογησομένου* ex Sall. (31, 5) *dissimulandi caussa vel sui expurgandi* relicuis, quae apertissume ex Cic. in Cat. II 6, 12 sumpta esse adparet, intermixta esse, quid firmamenti inde eius sententiae additur?

Transeo ad Appianum, quem multa ab Sallustio accepisse non negandum[2]), set si quis ex eo de illius libro concludi vellet, profecto multa omittunda, multa transponunda esse ipse Linkerus persensit p. 9 sq.

Superest igitur unus Cassius Dio. Quae is XXXVII 29 narrat, de eis apud Sallustium nihil. Set c. 30 pergit *καὶ οὕτως ὕπατοί τε ἕτεροι ἡρέθησαν καὶ ἐκεῖνος οὐκέτι λάθρα οὐδὲ ἐπὶ τὸν Κικέρωνα τούς τε σὺν αὐτῷ μόνους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πᾶν τὸ κοινὸν τὴν ἐπιβουλὴν συνίστη.* Quae verba Link. conparavit eum Sall. 26, 5 *postquam dies comitiorum venit et Catilinae neque petitio neque insidiae quas consulibus in Campo fecerat prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerunt*, set quis est quin videat maiorem similitudinem esse cum 18, 7 *iam tum non consulibus modo, set plerisque senatoribus perniciem machinabantur?* Quae secuntur *ἐκ γὰρ τῆς Ῥώμης αὐτῆς τούς τε κακίστους καὶ καινῶν ἀεί ποτε πραγμάτων ἐπιθυμητὰς κἀκ τῶν συμμάχων ὡς ὅτι πλείστους, χρεῶν τε ἀποκοπὰς καὶ γῆς ἀναδασμοὺς ἄλλα τε ἐξ ὧν μάλιστα δελεάσειν αὐτοὺς ἤμελλεν ὑπισχνούμενος σφίσι, συνῆγε, καὶ τούς γε πρώτους αὐτῶν δυνατωτάτους (ἦσαν δὲ ἄλλοι τε καὶ Ἀντώνιος ὁ ὕπατος) καὶ ἐς ἀθεμίτων ὁρκωμοσιῶν ἀνάγκην προσήγαγε. παῖδα γάρ τινα καταθύσας καὶ ἐπὶ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ τὰ ὅρκια ποιήσας, ἔπειτα ἐσπλάγχνευσεν αὐτὰ μετὰ τῶν ἄλλων*, ex Sall. c. 21 et 22 consuta esse nemo negaverit, set

1) Cornelium Plutarchus ex Cic. or. pr. Sulla l. c. noverat, eiusque nomen apud eum pro *Μάρκιον* restituendum censeo. *Κέθηγον* quo minus mutemus, obstat Appiani testimonium, qui eundem in eadem re nominat. Scilicet quod Cic. in Cat. I 4, 9 de *duobus equitibus* dixerat, aut Sallustio de Varguntcio non credidit, aut Cethegum, audacissumum coniuratorum, alterum fuisse divinavit.

2) Neque negare voluisse Hagen Cat. p. 18 puto.

adtendas quaeso ea narrata esse, postquam iam conmemoratum est in petitione consulatus anni 62 Catilinam repulsam tulisse. Pergit Dio: *συνέπραττον δὲ αὐτῷ τὰ μάλιστα, τὰ μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ ὅ τε ὕπατος καὶ ὁ Λεντοῦλος ὁ Πούπλιος ὁ μετὰ τὴν ὑπατείαν ἐκ τῆς γερουσίας ἐκπεσών (ἐστρατήγει γὰρ ὅπως τὴν βουλείαν ἀναλάβῃ), τὰ δ' ἐν Φαισούλαις, ἐς ἃς οἱ στασιῶται αὐτοῦ συνελέγοντο, Γάϊός τις Μάλλιος, τῶν τε πολεμικῶν ἐμπειρότατος (μετὰ γὰρ τῶν τοῦ Σύλλα λοχαγῶν ἐστρατεύετο) καὶ πολυδαπανώτατος ὤν. σύμπαντα γοῦν, ὅσα τότε ἐκτήσατο, καίπερ πάμπολλα ὄντα, κακῶς καταναλώσας ἑτέρων ἔργων ὁμοίων ἐπεθύμει*, in quibus nonnulla ex Sall. c. 24 et 25 sumpta esse concedo, set ita ut ea aliis intermixta sint, quae Sallustius partim non narravit, partim refutavit, veluti quod de G. Antonio dictum c. 26, 4. C. 31 apud Dionem haec iam leguntur: *παρασκευαζομένων ουν ταῦτα αὐτῶν μηνύεται τῷ Κικέρωνι πρότερα μὲν τὰ ἐν τῷ ἄστει γινόμενα διὰ γραμμάτων τινῶν, ἃ τὸν μὲν γράψαντα οὐκ ἐδήλου, τῷ δὲ δὴ Κράσσῳ καὶ ἄλλοις τισὶ τῶν δυνατῶν ἐδόθη.* Quod si prima verba ex Sall. Cat. 26, 1 *His rebus conparatis* in Graecum conversa dicas, profecto expectatur iam de Fulvia et Curio narratum iri, at pro eis subiciuntur quae Plutarchus solus (vid. supra) Cic. c. 16 conmemoravit. Plutarchum etiam in sequentibus secutum esse Dionem, set ita ut nonnulla variaverit, ita apertum est, ut acumini legentium diffidere videar, si pluribus exponam. Set si quis ad corrigendam Plutarchi narrationem Sallusti libellum adhibitum esse contenderit, adtendat ita narrari: postquam Cicero quae in urbe fierent, in senatu aperuit *δόγμα ἐκυρώθη ταραχήν τε εἶναι καὶ ζήτησιν τῶν αἰτίων αὐτῆς γενέσθαι* — de quo senatus consulto apud Sall. nihil —, tum cum ex Etruria nuntii allati essent, *προσεψηφίσαντο τοῖς ὑπάτοις τὴν φυλακὴν τῆς τε πόλεως καὶ τῶν ὅλων πραγμάτων, καθάπερ εἰώθεσαν· καὶ γὰρ τούτῳ τῷ δόγματι προσεγράφη τὸ διὰ φροντίδος αὐτοὺς σχεῖν, ὥστε μηδεμίαν ἀποτριβὴν τῷ δημοσίῳ συμβῆναι*, ut si ex his quo ordine res apud Sallustium narratae fuerint constituendum censeas, illud senatus consultum *darent operam* cet. post ea quae ab L. Saenio aliisque ex Etruria adlata sunt conmemoratum fuisse concludere debeas. De eis, quae sequuntur, *γενομένου δὲ τούτου καὶ φρουρᾶς πολλαχόθι καταστάσης τὰ μὲν ἐν τῷ ἄστει οὐκέτι ἐνεωτερίσθη, ὥστε καὶ ἐπὶ συκοφαντίᾳ τὸν Κικέρωνα διαβληθῆναι*, ubi ap. Sallustium aliquid? nisi forte ex illis 31, 4 *tametsi praesidia parabantur*, 32, 1 *ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam*, eisque quae Catilina in senatu respondisse dicitur 31, 7 *ne quid de se temere crederent*, consuta esse au-

tumas. At illud Linkerus ecfert (p. 11) ab Dione narrari, quod solus Sallustius tradiderit, de vi reum factum esse Catilinam. Set vide quo modo rettulerit: *τὰ δὲ ἐκ τῶν Τυρσηνῶν ἀγγελλόμενα τήν τε αἰτίαν ἐπιστώσατο, καὶ βίας ἐπ' αὐτοῖς γραφὴν τῷ Κατιλίνᾳ παρεσκεύασεν.* Non nominatur, qui nomen eius de vi detulit, et cum rebus ea interrogatio connectitur, de quibus prorsus tacuit Sall. Scilicet L. Paulum accusare voluisse Catilinam aliunde notum fuisse ostendunt schol. Bob. ad Cic. in Vatin. 10, 25 p. 320 Or. *Hic igitur Paulus accusare instituerat de vi L. Catilinam et, ut quidam memoriae tradiderunt, Cethegum. Sed enim Catilina deficiens ab re p. se ad arma contulerat, Cethegus quoque in eadem perseveratione consumptus est.* Quae iam c. 32 Dio narrat, ea ex Cic. in Cat. I 8, 19 cognita crant, et quae adiecta aut mutata sunt, certe non ab Sallustio sumpta. Postquam igitur Dio reum factum esse Catilinam narravit — alio connexu quam Sallustius — tum quid is propterea fecisset, ex alio scriptore interposuit, iam apud eum ,leguntur, ex quibus potissumum Linkerus conclusit, quem ordinem rerum apud Sallustium invenerit: *῝Ως δ' οὐδέν οἱ προεχώρει* (largiamur haec ex illis *ubi multa agitanti nihil procedit* convorsa esse) — *ὅ τε γὰρ Λεντοῦλος φοβηθεὶς ὑπεστέλλετο καὶ ὁ Λεντοῦλος ἥκιστα δραστήριος ἦν* (haec ipse scriptor aliunde, non ex Sallustio adiecit) — *προεῖπεν αὐτοῖς νυκτὸς εἰς οἰκίαν τινὰ συλλεγῆναι* (eis adeo Link. censuit confirmari Palmerii emendationem *intempesta nocte coniurationis principes convocat penes M. Porcium Laccam.* Nihil tribuamus, quod eum hominem non nominat Dion), *καὶ λαθὼν τὸν Μέτελλον* (rursus subplevit Sallustium) *ἦλθέ τε πρὸς αὐτοὺς καὶ ἐπετίμησε σφίσιν ἐπί τε τῇ ἀτολμίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ μαλακίᾳ* (haec similia sunt Sall. *ibique multa de ignavia eorum questus*), *κἀκ τούτου διεξελθὼν ὅσα τε πείσοιντο φωραθέντες καὶ ὅσων τεύξοιντο κατορθώσαντες* (haec ex oratione c. 20 ap. Sall. huc relata videntur; quam apte pro eis, quae Sall. Catilinam in Ciceronem iactasse memoravit, subiecta sint, quivis sentiet), *οὕτως αὐτοὺς καὶ ἐπέρρωσε καὶ παρώξυνεν* (at Sallustius *perterritis* inquit *et dubitantibus ceteris*), *ὥσθ' ὑποσχέσθαι δύο τινὰς* (nomina cur subpressit, praesertim cum aliorum narrationes corrigere posset?) *ἔς τε τὴν τοῦ Κικέρωνος οἰκίαν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ* (at Sall. ea *nocte paulo post.* Num Dio Sallustium ex Plut. Cic. 16 *ἕωθεν* correxisse cum Linkero censendus est?) *ἐσήξειν κἀνταῦθα αὐτὸν φονεύσειν.* [c. 33] *῾Ως δὲ καὶ τοῦτο προεμηνύθη* (cur tandem Dio, si Sall. libro usus est, cum ex eo haurire posset Curium per Fulviam enuntiasse, haec potius adiecit: *ὁ γὰρ Κικέρων, πολὺ δυ-*

νάμενος, συχνούς τε ἐκ τῶν συνηγορημάτων τούς τε οἰκειούμενος, τοὺς δὲ ἐκφοβῶν, πολλοὺς τοὺς διαγγέλλοντάς οἵ τοιαῦτα ἔσχε?), μεταστῆναι ἡ γερουσία τὸν Κατιλίναν ἐψηφίσατο (haec isne, qui Sallusti. librum in narrando ante oculos haberet, ita narrare potuit?). Iam haec quo iure quaeram lectores iudicent: num scriptor, qui quae ab Sallustio accepisset vel potius adripuisset, eis ita usus sit, ut non solum inter se confunderet set etiam cum aliis, quae aliunde sumpsisset, summa lubidine conmisceret, pro teste satis locuplete habendus est, ut eius fide res alio ordine ab illo dispositas fuisse, quam quo omnes libri exhibent, persuasum nobis videatur? praesertim cum ante eum iam alios scriptores alio ordine, quam qui nunc apud Sallustium est, res enarrasse constet. Illud mihi satis demonstrasse videor, apud posteriores rerum scriptores nihil inveniri quo pro satis certo argumento utaris, ut libros manu scriptos omnes vitiatos esse evincas.

Quamvis autem laudandus sit, qui hominem praeclarum erroris obprobrio liberare studeat, tamen ne veritati obficiamus, quoniam errare humanum est, num ille errare potuerit diligenter nobiscum reputare debemus. Igitur si illum errorem non Sallusti, set librarii cuiusdam culpae tribuerimus, num omnes res diligenter ab eo exploratas esse evincitur? Immo manent alia non minus gravia obprobria. Ut de relicuis erroribus taceam, qui ab viris doctis, Drumanno, Hagenio, Halmio aliis aperti sunt, ne quo tempore quidem senatus consultum *darent operam consules ne quid res publica detrimenti caperet*, factum esset recte enarravit, quamvis id adeo ex Cic. invectiva in Catilinam prima, si modo aliquo acumine aut sollertia in perquirendis rebus esset, cognoscere potuisset. Quod si eum eodem modo atque Plutarchum supra demonstravi in errorem ductum esse arbitreris, qua tandem ratione factum est, ut Catilinam in senatu furibundum exclamantem faceret, quod Cic. pr. Mur. 25, 21 Catoni eum respondisse testatus erat? Et quale illud videtur, quod G. Manlium, quem Romam venisse ne conmemorasset quidem, ab Catilina in Etruriam praemissum esse tradidit? Quare cum satis adpareat, Sallustium, modo diligentius Ciceronis orationes, quibus uti certe potuit, perscrutatus esset, de Catilinae coniuratione veriora ac certiora prolaturum fuisse, non tam rerum scriptoris officio fungi voluisse quam alia consilia secutus videtur esse. Quae plana fecisse mihi videor diss. Grimae 1856 edita: *quo tempore quoque consilio Sallustius Catilinam scripsisse videatur*, eisque quae coram philologis Germaniae Stuttgartiam congregatis eodem anno disserui. Quod si Sallustium minus diligentem in rebus ac temporibus ex-

plorandis fuisse concessum fuerit, etiam illum, de quo h. l. agitur, errorem ei condonabimus, modo aliqua ratione eum non temere set certo quodam consilio egisse ostendatur. Quid autem? Nonne primum uno tenore 26, 1 usque ad 28, 3 *ita illi ab ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant*, enarrantur, quae Catilina ipse in urbe instituit, paravit, fecit? Tum scriptor transgreditur ad ea, quae Manlius interea (quod vocabulum premendum esse nemo non intellegit) in Etruria fecit, quaeque ob ea senatus decrevit; postremo 31, 4 satis eleganter atque artificiose transitu sibi parato rursus ad Catilinam revortitur, atque quibus rebus permotus sit ut ad Manlium proficisceretur enarrat. In quibus nonne dispositio quaedam ac consilium, eo qui rhetorum scholis institutus fuerit non indignum, deprehenditur?

Et iam quam argumentis omnibus circumspectis rationibusque subductis summam fecerim cogitationum omnium mearum, breviter exponam; cum sententiae ab Linkero et Ottema dictae ab libris non nihil obstare videretur, neque nullum ex aliis scriptoribus argumentum adlatum esset, quo Sallusti libellum antiquitus eo vitio inquinatum non fuisse evinceretur, postremo consilium, quo res ordinasset, non indignum esse scriptore, qui ornate quam tenuiter annalium in modum scribere mallet, adpareret, librorum fidem potius sequendam, quam quidquam novandum esse censui.

Alium locum Cat. 51, 39 transpositione emendandum esse censuit Döderlein Philol. IX p. 579 sq. Cum enim ego iam antea demonstrassem, quantis dubitationibus obnoxium esset, quod orator sive Caesar sive Sallustius morem verberibus in civis animadvortundi ab Graecis acceptum esse diceret, cumque simul sententiarum connexus rationi repugnare ei videretur, ita hunc locum scribundum esse praecepit: *Set eodem illo tempore verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum subplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiusce modi fieri coepere, tum G r a e c i a e m o r e m i m i t a t i, lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est.* Qua ratione certe summa ac gravissuma dubitatio removetur, cum aliqua cum veri specie exili permittundi morem ab Atheniensibus sumptum esse contendi potuisse vir summus ostenderit coll. Demosth. Aristocr. 69 p. 643 init. Set tamen cum ille mos Athenis singularis fuerit neque in omnibus iudiciis capitalibus valuerit, cumque illam mutationem legum cum relicuis, quae in iure Romae populi libertate adolescente novata sint, congruere ac convenire demonstraverit

Mommsenius R. R. ed. II vol. I p. 407, utique etiam atque etiam considerandum est, ne altero errore sublato alterum scriptori inponamus. Praeterea si eam sententiam conprobaveris, oratio habet hiulci aliquid atque abrupti, quod ab Sallusti ingenio ac more prorsus alienum est, qui certe scripturus fuit: *tum Graeciae morem imitati legem Porciam aliasque leges paravere.* Set quaerendum est de sententiarum nexu omnique conclusionis ratione. Caesaris igitur sententia haec est, ut coniuratos deprehensos, quamvis meruerint, tamen mortis poena non afficiundos censeat. Qua re postquam non decere senatum ira aut aliqua cupiditate conmotum decernere exposuit (1 — 15), Silani sententiam duobus argumentis reiciundam esse ostendit, primum quod legibus non conveniat (16—24), tum quod verendum sit ne ex merita poena conprehensorum malum exemplum oriatur (25—36). Ad hoc confirmandum pertinere, quae de maioribus 37 — 42 dicantur, adparet. Quorum quae summa est? nonne haec: maiores sapientiores et fortiores fuisse, quam qui iam vivant; qua re hos decere illorum exemplum sequi atque imitari, i. e. quae illi rerum usu edocti instituerint tenere et observare? Quid autem ad hoc conmendandum gravius est, quam si ostendatur, maiores, quo optuma quaeque et maxume idonea in re publica instituerent, adeo peregrinos imitari non fugisse? Nonne eo magis posterorum esse, ut maiorum exempla sequantur, adparet, cum illos, quo minus bonos ac fortes imitarentur, nulla invidia nulloque rerum domesticarum studio atque amore inpeditos esse ostendatur? Eo si spectat illa institutorum ab peregrinis acceptorum conmemoratio, minume necesse esse intellegitur, aut morem verberibus animadvortundi aut exili permittundi consuetudinem ab peregrinis translata esse dici. Recte sic procedit oratio: maiores nostri, ut instituta civitatis emendarent, omnem curam inpendere, adeo ab peregrinis quae idonea videbantur sumpsere; unum tamen morem retinuere crudeliter condemnatorum puniendorum, set cum postea usu rerum qui abusus fieri posset experti intellexissent, eum quoque morem inmutavere. Nonne nos, qui illis virtute et sapientia inferiores simus, eadem quae illos metuere, eadem cavere decet? Iam quamquam verba illa *Graeciae morem imitati* ad concludendi rationem non necessaria esse cognovimus, tamen si aliquid ponderis ad confirmandum argumentum addant, non reiciunda videbuntur. Quod si Doederleinii sententiam conprobaveris, nonne illud ipsum, quo Caesar conmendare cupiat suam sententiam, ad eam inprobandam valet? An credibile est Catonem, qui 52, 19 hoc ipsum argumentum Caesaris diluere studet, id praetermissurum fuisse, si ille leniorem ac mitiorem puniendi

modum ab Graecis, contempto hominum genere, quos malis moribus atque institutis in servitutem redactos esse constaret, arcessitum dixisset? Qua re cum etiam alia ei sententiae obstare videantur, audaciore genere emendandi hoc loco abstinendum censeo. Set si eo loco, quo in libris inventa sunt, relinquantur, sane Caesar aliquid consequi videatur, cum eum ipsum morem, quem reiciundum censeat, peregrinum esse dicat. Set nonne tum maiores minus sapientes fuisse viderentur necesse fuit? Et quid? num Caesarem credibile est finxisse, quod falsum esse si non omnes, multi tamen ex rebus romanis cognitum haberent, praesertim cum id ad commendandam suam sententiam minume idoneum esset? An Sallustium, quem Caesarem ab obprobriis inimicorum defendere voluisse inter viros doctos convenit, tale aliquid eius personae inpositurum fuisse opinaris? Quid multa? Verba illa scioli grammatici videntur esse, qui cum propter praecedentia crederet hunc quoque morem ab peregrinis acceptum dicundum fuisse, memoriaque teneret a. 454 Athenas missos esse, qui inclutas leges Solonis describerent et aliarum Graeciae civitatium instituta mores iuraque noscerent (Liv. III 31 extr.), sive quo Sallusti orationem subpleret, sive doctrinae ostentandae gratia ea adscripserit. Cui sententiae non vereor ne obponatur, satis vetustum videri adsumentum, quod etiam in 𝔓 inveniatur.

Verba Iug. 19, 1 *Postea Phoenices alii multitudinis domi minuendae gratia, pars inperi cupidine sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem Hadrumetum Leptim aliasque urbis in ora marituma condidere* ita confusa sunt, ut omnes, qui ea explicare studuere, ad contortas rationes confugerint. Iam rem adcuratius consideremus; in quo illud non quaerendum videtur, quid Sallustius de coloniis Phoeniciis acceptum habuerit, set quas caussas earum deducendarum fuisse dixisse videatur. Nam id non mirum, si hominem romanum fugerit mercaturae faciundae, augendae, amplificandae caussa multas colonias deductas esse. Quando igitur domi multitudo minuenda videbitur? apertum est, cum numerus civium ita creverit, ut agri, opificia, aedificia ad eos alendos et tuendos non sufficiant, aut cum multi seditiosi cives sint, qui a magistratibus sine vi et sanguine neque regi neque coërceri posse videantur. Quae autem civitates inperi cupidine colonias condere dici possunt? Scilicet quae quo regiones teneant incolasque inperio coërceant, ibi suos cives habitare volunt. Utramque caussam coloniarum deducendarum Romae fuisse, qui res eorum vel leviter adtigerit, non ignorabit. Atque factum quidem est, ut qui

frustra ad summam potentiam domi adnisi essent, in colonias se deduci lubenter paterentur, et fieri potuit, ut nonnulli plebe sollicitata sollicitatisque omnibus, qui rerum novarum avidi essent, efficerent ut ipsi in colonias mitterentur, qui quod in patria principes se futuros desperassent, in longinqua nova urbe primum locum obtinere mallent, quem ad modum hunc locum videtur accepisse Movers Phon. II 2 p. 5 sq. At ei non inperi cupidine colonias condidisse dici possunt, certe tum populi qui emittunt non sua inperi cupidine moventur, set nonnullorum inmoderatam potentiae cupiditatem e civitate ita ut nemini noceatur tollere cupiunt. Quod si cum Kritzio *inperi cupiditate* cum *sollicitata* coniungitur atque *sollicitatis* ad *aliis novarum rerum avidis* repetimus, et constructio inpeditior est, et qui tandem sint illi alii rerum novarum avidi sollicitati quaeritur. Nonne plebes, cum sollicitatur, eadem ipsa spe et cupiditate rerum novarum sollicitatur? Set, cum plebes sollicitata est, i. e. aere alieno et egestate obpressa, iniuriis exacerbata, in principes irata, cumque alii, i. e. principum nonnulli, rerum novarum avidi, illi se duces praebituri videntur, tum caussa est, cur colonia emittatur; at ea non inperi cupiditate, set multitudinis domi minuendae gratia emittitur. Ergo si verba *pars inperi cupidine* transponantur ita ut haec inter se coniungantur, *alii multitudinis domi minuendae gratia sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis*, omnia sana sunt. Facile autem fieri potuisse, ut verba illa in omnibus libris falso loco ponerentur, si in archetypo omissa et ad marginem adscripta essent, vix est quod pluribus exponam. Ceterum Sallustium *pars* ei quod obponatur, non minus saepe praemittere, quam postponere, nosces si locos Cat. 2, 1. Iug. 13, 8. 31, 13. 51, 1. 57, 4. 66, 4. 74, 1. 85, 13 conparaveris cum Cat. 38, 3. 48, 5. Iug. 32, 3. 38, 5. 50, 4. 69, 2. Fr. III 78 Kr. Nam Iug. 58, 3 *alii — magna pars,* 100, 5 *multi — pars* obposita sunt.

Iug. 87, 1 omnes libri exhibent *proelia multa, ceterum alia levia aliis locis facere* [1]), quae pervorsa esse quivis intellegit. Neque facile quisquam in eam opinionem adducatur, ut alterum membrum veluti *alia graviora* excidisse arbitretur. Etenim hoc adparet, Marium novorum militum exercitandorum caussa omnia proelia levia facere debuisse, set eorum loca mutare, quo peritiores cuiusque generis illi fierent. Recte igitur Ciacconius perspexit *alia* cum propter sequens *aliis* omis-

1) Scriptura cod. s[1] *alia omnia levia* nihili faciunda est.

sum et vel superscriptum vel ad marginem adiectum esset, ab librariis falso loco inlatum esse ideoque transponendum *ceterum levia alia aliis locis facere*.

## Cap. IV.

## De glossematis.

Arduum ac difficile adgredior opus, de eis locis disputaturus, quibus glossemata in Sallusti verba iulata aut visa sint aut videantur. Etenim cum glossemata iu textum multa inlata esse ipsi libri prodant (cfr. var. scr. ad Cat. 20, 5), aliis locis grammaticorum veterum testimonia ostendant (cfr. Cat. 49, 1), cumque codices paene omnes multas glossas marginales et interlineares contineant, facile aliquis in eam opinionem adduci potest, ut omnia, quibus aliquo modo salva atque integra sententia careri posse videatur, eiciunda censeat; sed in ea re magna cautio adhibenda est, ne ex praeiudicata de scriptoris brevitate opinione potius quam ex eius vera indole ac more iudicare videamur. Quam ob caussam codices diligenter perquirendi sunt. Cum autem aliis in rebus vetustissumos libros maxumam fidem merere adpareat, ei ibi quoque sequendi erunt, ubi quod recentiores exhibent, non peius esse inveniatur.

Nulla autem vox magis dubitationibus obnoxia et fuit et est, quam verbum *esse*. Quam ab Sallustio saepius quam ab aliis scriptoribus omissam esse cum constaret, multi praeeunte Cortio paene ubique expellundam censuere. Ac sane in libris multis saepissume superscripta est, et inveniuntur loci, ubi iu recentiores libros ex glossemate irrepsisse inde adpareat, quod in vetustiore superscripta est et locus in aliis alius; cfr. Cat. 19, 6. 39, 1. Iug. 25, 2. 27, 3. 28, 6. 84, 4. 92, 6. 96, 4. 100, 5. 101, 3. 102, 6. At tamen in ea re summa cautio adhibenda est. Cum enim qui libros Sall. adtente ac diligenter perlegerit, has leges ab eo observatas esse inveniat, ut copulam omitteret, ubi narratio vel descriptio quasi magno cum vigore decurreret — qua re ei dicendi generi similis usus est infinitivi, quem historicum grammatici adpellavere — item ubi aliquid cum gravitate dicundum esset (cfr. Iug. 85, 22: *quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior;* saepissume id in clausulis fieri facile intelleges), denique ubi per oppositum verbum, quo modo praecedens accipiundum esset, perspicuum fieret, simul gravitas oppositionis adposita copula imminueretur

(cfr. Cat. 39, 1, cuius generis nunc iudico esse Iug. 88, 6 *ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum*, de quo loco olim disputavi Obss. p. 1), contra poneret, ubi aut quieta esset oratio atque scriptor, vel quem loquentem fecit, distincte ac perspicue doceret, aut nisi adiuncta copula tempus vel modus non perspiceretur [1]), aut, id quod potissumum in verborum temporales formas cadit, aliquid factum esse vel quo tempus definiretur vel ut praeteritum significaretur dicundum esset, aut denique verbum *esse* non copulae locum obtineret, sed graviorem vim haberet — cum igitur adpareat omissionis licentiam in iudicio ac sensu Sallusti sitam esse, magno opere cavendum est, ne quid in libris scribundum fuerit ex eis quae nosmet ipsi de mente scriptoris finxerimus existumemus potius, quam ex eis quae testata sunt quo animi habitu scripserit iudicemus. Igitur Cat. 5, 3 *supra quam cuiquam credibile est*, cum omissum esse *est*, quoniam praecederet *e*, credibile videatur, cum quamvis vivida sit et alacris Catilinae ingeni descriptio, tamen tranquillius aliquid interpositum esse non alienum sit, denique Sall. non vituperandus sit, si dici voluerit: supra quam a quoquam credibile habeatur, librorum satis multorum eorumque vetustorum testimonia non reiciunda puto; nec magis 20, 11 *cui virile ingenium est*, quod in E $g^2$ superscriptum, in $s^2$ omissum est, advorsus omnium relicuorum fidem — nam etiam ei libri, in quibus *inest* scriptum, testantur — *est* expellundum iudico. 46, 2 Linkerus praeter alia etiam *esset* eiciundum iudicavit; cuius sententiae in tanto ceterorum consensu non satis grave argumentum est, quod P *opus erat*, pauci recentiores libri *sit* exhibent.

1) Cfr. quae olim ad Iug. 10, 2 p. 80—83 et Obss. p. 2 disputavi. Rarissuma sunt coniunctivi omissi exempla. Tamen Iug. 53, 7 *et paene inprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent*, facilius toleratur copulae omissio, quoniam praecedit *paene*, et perspicuum est, graviorem orationem esse, quod scriptor legentium animos ad id, quod evenisset, summo opere intendisset. Eorum locorum, quos in Obss. tractavi, in altero Iug. 88, 6 *id simulaveritne quo inprovisus gravior adcederet, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est*, praegressum *simulaveritne* lenit duritiam, simul adparet, si *sit* adiunctum esset, non tam de vitio, quam quod tum fecisset B. cogitari potuisse. De altero Iug. 113, 1 *Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit, ceterum dolo an vere cunctatus parum conperimus*, non dubium est, quin *cunctatus* participium et ex *promisit* repetundus sit coni. *promiserit*, quem ad modum nos loquimur: 'Er versprach es, ob nach hinterlistigem oder ernstlichem Bedenken, ist nicht gewisz.'

Eoque minus suspiciosum esset, quod coniunctivi omissi exempla rarissuma sunt neque praeter Fr. I 47, 19 *(quid opus decretis, quid auxilio Catuli?)* umquam in illa locutione verbum *esse* omittitur, cfr.. Cat. 1, 6. 20, 10 (solus l om. M[1] *est opus*). 31, 7. 43, 3. 45, 1. 58, 15. Iug. 55, 4. 7. 71, 4. 84, 2. 85, 31. Etiam minus probanda est suspicio quam idem v. d. in *est* contulit Iug. 31, 6 advorsus omnis libros ipsumque, quem merito plurimi fecit, 𝔅. Scilicet videtur ei offensioni fuisse, quod sequitur *necesse est.* Quod contra est. Neque enim Sall. talem repetitionem eius vocalac fugit (Cat. 3, 1 *pulcrum est — haut absurdum est.* 7, 2 *suspectiores sunt — formidulosa est;* eodemque modo Iug. 55, 4 secundum optumos libros recipiundum est *ita quo clarior erat, eo magis animo anxius erat;* denique Iug. 85, 2 *quo pluris est universa res publica, est* praesertim cum ab libris munitissumum sit, eo minus eiciundum, quod graviter adfirmari ita esse minume ab h. l. alienum est) et ipsa oppositionis atque chiasmi ratio, ut in utroque membro *est* ponatur postulat. Cat. 48, 3 *Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat* Link. *erat* delevit. Atque aliquid quidem suspicionis per libros manu scriptos movetur (vid. var. scr.), quod tamen prae tanto optumorum consensu nihili putandum est. Latuit autem iam librarios, qua ratione plusqpf. dictum esset, quo Sallustius usus est, quod quae sequuntur cur dissereret, conmemorato quod praecessisset explicare vellet (cfr. Cat. 18, 6. 24, 1. 36, 5. 50, 4. 56, 2. Iug. 42, 1. 72, 1). Iug. 6, 1 *uti mos gentis illius est* cur advorsum codices omnis *est* cum Cortio et Linkero deleatur, nulla profecto caussa est; nec magis caussam video cur 17, 7 *quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est,* cum libri ne minumam quidem suspicionem moveant, eiciatur. 24, 8 *quid est relicum* ita optumorum librorum consensu firmatum est, ut quod in paucis recentioribus libris omissum est, nihil prorsus valeat. 31, 25 *hosti acerrumo prodita senati auctoritas, proditum inperium vostrum* Vaticanum, cum quo relicui libri consentiunt, sequendum censeo ac scribundum *proditum inperium vostrum est.* Etenim ita demum de facinore singulari Bestiae dicitur, neque insolentior verborum ordo offensioni est, quia *inperium vostrum,* quippe oppositum senati auctoritati, graviore numero ecferundum fuisse adparet. 82, 3 *nobis satis cognitum est,* qui cum MM[1]Fm[2]s[2] *est* delendum censeat, viderit ne neglegat Sallustium dicere voluisse: se illud pro satis cognito habere. 94, 3 qui legerit: *tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus testudine acta succedere et simul hostem — terrere,* vix

offendit, at cum optumi et vetustissumi libri testentur scriptum fuisse *est egressus*, quidni id conprobemus, cum *succedere — terrere* non ea sint, quae Marius per se fecerit, igitur eis, quae dux ipse peregit, apte subiiciantur quae milites confestim perfecerint? 104, 3 *profecti sunt*, 107, 7 *perventum est*, 113, 7 *deductus est* libri conmendant [1]), nec minus 110, 5 *flagitiosum est* optumi testantur, set difficilius est iudicare de 110, 3: *qua apud meum animum nihil carius est*. Etenim cum antiquiores libri 𝔓 P²P³B *carius est* exhibeant, recentiores omnes in *carius habeo* consentiant, sane et *est* et *habeo* ex glossemate inrepsisse veri simile videri potest. At cum sententiam esse adpareat 'qua apud animum meum nihil carius habetur', contra veri dissimile sit *habeo* superscripto *est* explicatum esse, antiquioribus codicibus etiam in hac minoris momenti re obtemperare satius est. Ac ratio quidem me movit, ut Iug. 35, 1 *Erat ea tempestate*, quamvis libri variarent, tamen in suspicionem vocare non auderem, quod idem de Iug. 85, 46 et 102, 5 dicendum. Contra Cat. 8, 6. 10, 6. 52, 22 et 23. Iug. 19, 5. 107, 6. 109, 3 et 114 extr. cum ratio eorum librorum, qui copulam omittunt, fidem confirmet, eam recipere nolo et vehementer recuso. Et quamquam in membris temporalibus, quae per *ubi* vel *postquam* adiunguntur, copulam fere semper adpositam esse observamus — quippe ibi rem factam significari, verbi ergo tempus praeteritum poni necesse est (cfr. Cat. 45, 4. 47, 1. 50, 5. Iug. 23, 1. 34, 1. 39, 1. 41, 10. 52, 2. 53, 2. 60, 5. 7. 62, 8. 68, 1. Cat. 45, 4. 51, 5. 53, 5. 55, 5. 60, 2. Iug. 14, 10. 26, 1. 27, 1. 35, 1. 10. 41, 4. 62, 2. 85, 1. 104, 4. 106, 6) — tamen Iug. 75, 7 *ubi ad id loci ventum*, 77, 3 *ubi ea inpetrata*, 79, 4 *postquam — fusae fugataeque et — adtriverant*, 91, 2 *postquam tempus visum*, ib. 4 *ubi dies coepit et — multi — egressi*, 109, 2 *postquam — congressi*, colorem orationis Sallustianae quibusdam libris postulantibus mutare nimiae audaciae esset. Set sane confiteor Iug. 14, 15 cum 𝔓 *relicta anima est*, relicui omnes praeter g⁶ *relicta est anima* exhibeant, *est* suspectum esse, nec minus 85, 47 *quibus militaris aetas est*, quamvis hic copula aegre careri possit. — Ut ad infinitivum *esse* transeam, Cat. 1, 3. cum inter ipsos optumos libros de loco infinitivi non conveniat, simul usus verbi *videri* omissionem conmendet,

1) Nolo dissimulare in extrema parte Iugurthae verbi *esse* omissi exempla multo frequentiora esse, quam in relicuis. Scilicet scriptor res, ad quas legentium animos adtentos esse sciret, cum gravitate et celeritate scribere animum induxit. Incertius indicium esse in ea parte, quam ex recentioribus codicibus solis cognovimus, non diffiteor.

*quo mihi rectius videtur* utique retinendum est, contra qui 44, 5 *memineris te virum esse* propterea, quod $MM^1GFp^1g^2g^4s^1$ *esse virum* praebent, in suspicionem vocaverit, viderit ne merito homo suspiciosus audiat. Nec magis Iug. 20, 1 *certum esse ratus*, quamvis nonnulli libri *esse* omittant, mutandum est, cum praesertim sententiam esse adpareat: certum inventum esse ('als gewis sich zeige'). Porro 79, 7 *postquam Curenenses aliquanto posteriores se esse vident* quin verum sit dubitari vix potest. Set varietas scripturae viam ac rationem ostendit qua alium locum emendemus. Cum enim 64, 3 *facturum sese quae peteret* nulla caussa inveniatur, cur graviore *sese* quam simplici *se* scriptor uti maluerit, *facturum se esse* scribundum suspicor. 85, 40 *omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse: arma non supellectilem decori esse* Linkerus, credo non tam quod in recentiore primi generis librorum familia multisque secundi omissum, in $P^1$ et G superscriptum esset, quam quod sententia flagitare videretur, prius *esse* delendum censuit; set neglexit praegressum membrum *munditias mulieribus, viris laborem convenire* inlustrari et amplificari altero per *que* adiuncto, quod in duas partes sine vinclo inter se oppositas divisum sit. Cum igitur in talibus membris repetitionem verbi *esse* Sallustium non fugisse supra viderimus, cum *gloria* et *divitiae* habeantur, quae *decori* sint et ab nobis ostendantur, ideoque repetitionis instam caussam esse adpareat, cum denique casu quodam ab librario *esse* omissum esse ab veri specie non abhorreat, infinitivum illum codicis 𝔅 cum relicuis vetustissumis consensu confirmatum recte abici nego. Denique 111, 1 cum libri paene uno consensu testarentur *faciundum esse aliquid, quod — rettulisse videretur*, id revocandum putavi, quippe cum id quietae et prudenti expositioni optume convenire videretur.

Eadem fere quae de omissione copulae, de asyndeti admissione valere olim ad Cat. 11, 2 p. 39 sq. ostenderam. Qua re etiam in ea caussa libris potius obtemperandum, quam meum sensum sequendum putavi esse, nec Cat. 2, 2, nec 11, 1 Linkero illic *atque*, hic *et* delenti obedivi. Contra 17, 1 *et*, quod inter *L. Caesare* atque *G. Figulo* interpositum est, item 38, 1 tollendum censeo, non quod unus cod. $\mu$ omittat, set quod constans Romanorum usus ita postulet. Quam proclives fuerint librarii ad interserendam particulam copulativam documento est Cat. 25, 2, ubi cum praecesserit *genere atque forma*, *viro atque liberis* ferri non posse, qui Sallustiani generis dicendi guarus est, facile concedet. Prospera igitur fortuna accidit, ut codd. $P^1B$ *atque* ex glossa inlatum esse perspicue ostenderent. Tamen eidem libri

qui *atque* omittunt, paulo post *psallere et saltare* exhibent, cum Frontonis et Macrobii testimoniis *et* additamentum esse constet. Asyndeton secundum optumos libros restituendum putavi Cat. 27, 2 *uti semper intenti parati essent*, cum omnis loci rationi maxume conveniret, set idem Iug. 44, 5 quamquam fateor *et*, quod ante *palantes agros vastare* eet. omnes Sall. codices praeter g et g[1] et liber Frontonis tenent, rectius mihi abesse videri, quippe in alacri et vivida descriptione, tamen in tanto librorum consensu delere non ausus sum, cum utique dubitandum videretur, annon scriptor transitum ad facinora in incolas regionum perpetrata notare voluerit, ut infra *praeterea — postremo* sequuntur. Item maxumus optumorum librorum consensus me impedivit, quo minus 51, 4 *orare et hortari* asyndeton restituendum censerem, praesertim cum ibi narratio placide ac tranquille procedere videretur. Contra ut 50, 4 *et praeterea* verum iudicem moveor uno primi generis librorum consensu. Ac *et praeterea* scripsit Cic. Ep. ad fam. III 10, 1, quamquam leviore genere scribendi fortasse excuses, set h. l. *praeterea* futuri temporis significationem habere ex eis quae sequuntur *si deprehensi forent* luculenter adparet, ut *et* rectissume adiectum videatur. Ceterum me eandem ob caussam Iug. 18, 4 *et* inserendum putasse, ob quam 85, 46 *atque* delelverim, neminem latere arbitror. Set Iug. 85, 3 *bellum parare simul et aerario parcere* cum Vaticano *et* eiciundum esse nego, cum et Sallusti usus id postulare videatur (vid. Ind. Quam olim ad Iug. p. 173 sq. dixi sententiam, eam nunc ita recolo ut *simul* ubique vere priori membro adhaerere censeam) et sententia, cum tria coniungi adpareat cum ea, quae singulis adhaereat, difficultate: belli adparatum, exercitus subplementum, rerum omnium curam, contra ubi *et* omitteretur, *simul* non ad unum quod sequitur, set etiam ad cetera pertineret. Contra 91, 1 *et*, quod Linkerus uncis incluserat, delevi, cum in multis vetustissumis libris omissum esset. Nec difficile ad cognoscendum est, quibus rebus factum sit, ut Iug. 92, 7 in plerisque et optumis libris *magna pars et frumenti* pervorse scriptum inveniatur.

Per glossema superscriptum Schmidt Philol. X p. 734 sq. conruptum esse arbitratus est locum Cat. 3, 2, cum ab Sall. *auctorem et actorem* scriptum fuisse, deinde pro *auctorem* glossema *scriptorem* substitutum esse crederet. Quod mihi secus videtur. Nam primum qui quam saepe *auruspex* pro *aruspex* in libris scriptum sit secum reputaverit, libris in ea re non multum tribuendum esse intelleget, et eo, de quo disputamus, loco *actorem* maior pars optumorum codicum tue-

tur. Tum *auctor* quamquam apud Ciceronem et alios rerum scriptor haut raro dicitur, tamen id ita semper factum est, ut magis qui quid verum esset ostendisset, quam qui res narrasset, intellegendus esset, id quod ab h. l. alienum. Denique eadem hoc loco oppositio est, quae ab Homero usque per omnem antiquitatem manavit (Hom. Il. IX 443 μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων, quod Cic. d. or. III 15, 57 expressit: *oratorem verborum actoremque rerum)*, eoque minus Sall. *auctorem* rerum actori opponere potuit, quod *auctor rerum* etiam is est, qui consilio praeit ac regit res, cum pro *oratore* recte *scriptor* substituatur. Multo magis merito Iug. 1, 5 *suam quique culpam actores ad negotia transferunt* dubitari videtur an scribundum sit *auctores*. Recte enim ei qui consilio suo rem gerundam praecipiunt et regunt, i. e. auctores, pro se ipsis negotia adcusare dicuntur; set cum vetustissumi in *actores* ita consentiant, ut *auctores* minus testatum sit, eumque illud ad sententiam, quippe cum plures conplectatur, magis idoneum sit, adquiescendum videtur. Ceterum quo proverbii speciem prae se ferre ea verba, id quod olim contenderam, declararetur, Lahmeyerus Nov. Ann. LXXVI p. 148 ostendit Cic. locum Cat. mai. 5, 14 *sua enim vitia insipientes et suam culpam ad senectutem transferunt.*

Cat. 7, 6 praeeunte Sellingio emend. Sall. p. 11 sq. Nanckius (d. Vorw. zu Sall. Cat. Verschw. Königsb. in d. N. 1850) p. 5 verissume observavit *sic* ante *se quisque ferire* nullo modo ferri posse, eamque ob caussam scribundum esse coniecit *sese*, quod recepit Linkerus. Cum autem Pm㊈ Naz. et Comm. *se* omittant, in P[1] superscriptum sit, contra *se* in GE septemque recentioribus exciderit, eoque ducat etiam s scriptura *si quisque*, non dubitandum videtur quin *sic* ab grammatico superscriptum per relicuos libros permanaverit.

Quoniam constabat apud posteriores scriptores *quam* ita dictum esse ut in praegresso membro *magis* vel *potius* omissum esse videretur (vid. Grysar. Act. Gymn. Austr. IV p. 16. Opitz spec. Lexicol. arg. aet. Numburgi 1852 p. 17), fuere qui Cat. 8, 1 *ea res cunctas ex lubidine quam ex vero celebrat obscuratque* et 9, 1 *quod beneficiis quam metu inperium agitabant*, 48, 5 *tanta vis hominis leniunda quam exagitanda videbatur* scribundum censerent. At primum Sallustium ab consuetudine eorum, qui ipsius aetate floruere, non discessisse per se consentaneum est, Ciceronem autem et Caesarem constat illum usum particulae *quam* raro neque umquam nisi cum verbis, in quibus optionis vel voluntatis notio inesset, admisisse (Weissenb. gr.

lat. §. 439 p. 466). Quid igitur? Cum *magis* etiam multis locis incuria ab librariis omissum esse conpertum sit (vide si tanti est, Cat. 1, 2, ubi in σ, ib. 5 ubi in BM²m¹ deest; cfr. var. scr. ad 7, 1. 11, 1. 52, 3) nec minus saepe locum mutasse (cfr. var. scr. ad 20, 17. 22, 2. 54, 5), utrum credibilius 8, 1 ubi ne qui libri quidem omittant satis constat, et 9, 5 ubi *magis* magno vetustissumorum consensu munitum est, glossema in textum inrepsisse, an per neglegentiam in nonnullis excidisse?

Contra glossema nunc iudico, quod olim summo studio defendi, *hostibus* Cat. 12, 5. Nam si ex librorum fide atque auctoritate existumare volueris, cum uno consensu primi generis codices omnes et ex recentioribus optumus quisque omittant, in uno ad marginem in altero pro eo *victis* scriptum sit, gravissumae suspicioni illud vocabulum obnoxium esse negare non poteris. Deinde, quod olim contendi, cum *ignavissumi homines* et *fortissumi viri*, per *summum scelus* et *victores* (i. e. victoriae iure) inter se obposita essent, ratione efflagitari ut *sociis* quoque quod responderet haberet, idque *hostibus* commodissume esse, acutius quam verius dictum fuit. Nonne enim obpositorum gravitas eo ipso augetur, cum ad unum commune referuntur? Et uonne qui victi se Romanis dedidere, confestim socii facti sunt? Scilicet non de eis rebus agitur quae flagrante bello hostibus eripiuntur, set de eis quae dediticiis iure adimi potuerint quaeque per scelus adimantur. Qua re merito in hoc me ipse castigasse mihi videor.

*Alea*, quod Cat. 14, 2 in nonnullis libris aut *manu* adiunctum aut pro eo substitutum legitur, glossema esse omnes confessi sunt, eiusdem autem capitis principio eo quod in nonnullis libris scriptum est *in tanta itaque tamque conrupta civitate*, facile ad eam sententiam adducaris, ut *itaque* per *tamque* explicatum idque in textum inrepsisse opineris, set quoniam in aliis *itaque* praemissum, in T *igitur* scriptum est, illud *itaque* ab eis adscriptum esse veri similius videtur, qui nexum quendam cum praecedentibus restituendum censerent. Cat. 15, 5 postquam de mente per conscientiam vastata dictum est, sic pergitur: *igitur colos exanguis, foedi oculi, citus modo modo tardus incessus: prorsus in facie voltuque vecordia inerat.* Ita praeeunte Cortio omnes edidere; primus Gerlachius in editione novissuma ex vetustissumis libris *colos ei exanguis* restituit, cuius sententiam conprobandam duxi. Neque enim quod recentiores libri *eius* praebent, quod in paucis locus pronominis mutatus, in uno m super linea scriptum est, tanti est ut glossematis suspicio libris munita habenda sit, neque Probi,

qui hunc locum propter formam *colos* adfert, auctoritas codicum fidem infringere potest, quam etiam confirmat quod in Naz. et Comm. scriptum fuisse Gruterus memoriae tradidit: *colore exanguis*. Facilius concedi posset, si in vetustissimis libris *eius* scriptum esset, non *ei* quo casu glossatores usos esse minus credibile est. Set gravissumum argumentum videtur, quod h. l. cum ab animo ad ea, quae in corpore illius habitus effecerit, transeatur, aptissume pronomen adiicitur, ut 25, 5 ubi ab facinoribus Semproniae ad ingenium, Iug. 63, 3 ubi ab Mari virtutibus ad vitam pergitur. Exemplum quod Cortius ostendit Cat. 5, 3 et 4 divorsum esse adparet, quoniam ibi omnis Catilinae natura atque indoles describitur et *animus* ac *corpus* per asyndeton inter se obposita sunt.

Set transeo ad locum difficillumum Cat. 18, 3, de quo ut recte iudicari possit, res gestae diligentissume perscrutandae sunt. Catilina igitur, cum a. 68 praeturam gessisset, a. 67 Africam provinciam obtinuit. In qua provincia eum etiam a. 66 fuisse constat ex Cic. pr. Cael. 4, 10: *fuit assiduus mecum praetore me, non noverat Catilinam. Africam tum praetor ille obtinebat.* Iam *cum provinciam graviter vexasset, legati Afri iam tum absente illo questi sunt*, ut ait Ascon. ad Cic. in tog. cand. p. 85 Or. Senatus consultum tum in Catilinam factum esse cum Ciceronis ipsius fr. 3 testatur *cum gravissumis vostris decretis absens notatus est*, tum Asc. pergens *multaeque graves sententiae in senatu de eo dictae;* decretum autem esse ne ei consulatum petere liceret, id quod ipse olim contenderam [1]), de ea re nihil prorsus traditum est. Set iam a. 66 rediisse ex Africa et eo ipso anno consulatum petere voluisse, nisi omnis testimoniorum fides labefactetur et artificiose rerum publicarum romanarum ratio cogitetur — eteuim Drum. V p. 393 eo modo acute difficultatem removere studuit —, negari non potest, cum Cic. in tog. cand. fr. 11 *te vero* inquiat, *Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui cum L. Volcatio consuli in consilio fuissent ne petendi quidem potestatem esse voluerunt*, quem ad locum Asc. p. 89 sq. *paulo ante diximus Catilinam, cum de provincia Africa decederet petiturus consulatum et legati Afri questi de eo in senatu graviter pervenissent* (vid. p. 55 n. 1), *professus deinde est Catilina, petere se consulatum, L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Ca-*

1) Gerlachius cum ed. Bas. 1853 putavit, merito me in nonnullis cap. 452 contra sententiam meam dis- stigavit, at alia parum pensitavit.

*tilinae habere deberet, si peteret: nam quaerebatur repetundarum. Catilina ob eam caussam destitit petitione* (addas si tanti testimonium Cassi Dionis 36, 27 ἠτήκει δὲ καὶ αὐτὸς τὴν ἀρχὴν καὶ διὰ τοῦτο ὀργὴν ἐποιεῖτο). Ergo hoc constat Catilinam a. 66 quo minus consulatum peteret prohibitum fuisse, illud dubium est quo iure et quam ob caussam; in quo unum certum L. Volcatium eius petitionem non admissurum fuisse, idque consilii principum civitatis auctoritate atque consensu. Inde quod *consilii publici* nomine putatum est senatum dici, is error obfusus est multis, ut senati decreto illud factum esse contenderent (vid. Halm. ad Cic. pr. Sull. 4, 13. Hagen Catil. p. 82). Quid autem senatum, cum Africani oratores de Catilina graviter questi essent, decrevisse veri simile est, quod simul in Catilinam ignominiosum esset et precibus Afrorum satis faceret? Quoniam Cic. pr. Cael. 4, 10 Catilinam se praetore Africam obtinuisse narravit indeque etiamsi Ciceronem aut minus vere aut parum diligenter dixisse concedas, tamen coniciundum videtur illum maxumam anni partem in Africa fuisse, facile aliquis in hanc sententiam adduci possit: senatus consultum factum esse ut ei succederetur. At si id factum fuisset, admirabile certe foret, si id Cicero Catilinae obprobrio non dedisset. Atque plerumque aestate demum ab provinciis decessum esse demonstravit Drum. l. c. n. 7. Qua re si quae tradita sunt teneas, nihil aliud conici licet, nisi tales sententias de eo dictas esse, quibus accusatio repetundarum adiuvaretur animique ad eam instituendam instigarentur et confirmarentur. Nam cum *decreta* possint esse sententiae a singulis senatoribus dictae (cfr. Sall. Cat. 50, 4. 51, 18. Iug. 104, 2. Fr. I 47, 1), adeo factumne sit senatus consultum incertum est. Iam a. 65 Catilinam a. P. Clodio accusatum caussam dixisse constat ex eodem Cic. pr. Cael. 4, 10 loco: *secutus est annus, cum* (recte hoc Garatonius inseruit) *caussam de pecuniis repetundis Catilina dixit.* Set, qui ex G. Verris caussa cognoverit, quantum temporis inter nominis delationem ipsamque iudicii actionem intercedere potuerit, non dubitabit, quin statim post eius reditum Catilina reus factus sit, eoque minus, quod credibile est acerrumis ac gravissumis in eum sententiis in senatu dictis animos ad nomen deferundum promptiores et alacriores factos esse [1]). Deinde nisi

1) Quamquam arduum est de libro iudicare, cuius naturam perspectam non habeas, tamen non tacebo, Asconi locum apertissume lacunosum non cum Hagenio *essent pervenisset*, set sic fere subplendum mihi videri: *questi, ad P. Clodium ut suam caussam susciperet publice rogantes pervenissent.*

omnem Sallusti verbis fidem abrogare volueris, negare non poteris Catilinam tum demum consulatum petere voluisse, cum P. Autronius et P. Sulla legibus ambitus interrogati poenas dedissent et comitia consulibus subrogandis habenda essent. Ut iam ad Sallusti locum me convortam, inter eum et Asconium de ea re nulla diversitas est, Catilinam per nobilitatem prohibitum esse ab consulatus petitione; nam in *prohibitus erat consulatum petere* nihil aliud inest nisi *conmotus erat ut a petitione desistendum putaret*, de qua re eo minus dubitari potest, quod eam caussam referri, qua Catilina ad coniurandum cum P. Sulla et P. Autronio inpulsus fuerit, apertissumum est. Id ita factum esse, cum L. Volcatius Tullus se, si peteret atque adeo crearetur, nomen eius non renuntiaturum esse ex consili sententia declarasset [1], Sallusti verbis nullo modo reicitur, set quae adiecta sunt, *pecuniarum repetundarum reus* et *quod intra legitumos dies profiteri nequiverat* — ponam enim Sallustium ita scripsisse —, caussas contineant necesse est, quibus adductus consul iure renuntiationem recusare sibi visus sit. Igitur caussam fuisse crimen repetundarum praeter Sallustium per Asconium confirmatur verbis *nam quaerebatur repetundarum*. Ut autem nominis delatio inpedimentum legitumum non fuerit, quo quis a petitione arceretur, tamen certe idonea caussa fuit, cur consul Catilinam sibi indignum videri quem renuntiaret declararet praesertim cum ille gravibus decretis in senatu notatus vel multae graves in eum sententiae dictae essent, atque adeo adpareret eum petitione, si crearetur, iudicium effugere velle — quemadmodum P. Clodium constat a. 57, cum ei actio de vi ab T. Annio Milone intenderetur, aedilitatem petiisse (Drum. II p. 318) [2]. Illud unum quaeri potest, num recte Sallustius eum repetundarum reum dixerit, cum Asconi verba indicare videantur, speratum esse fore ut eius nomen deferretur; set iam supra ostendimus, quam per se non incredibile esset, statim post reditum eius nomen delatum atque adeo ab praetore,

1) De his rebus cfr. Gruchius de comitiis Roman. Venet. 1559 p. 60 sq. Becker Ant. Rom. II 2 p. 33 sqq.

2) Quamquam nullum testimonium adferre possum, tamen, qui reus factus esset tali crimine, ut condemnationem infamia atque exilium consequi possent, semper ab magistratu qui comitiis praeesset reiciundum fuisse pro certo habeo (Lange Ant. Rom. I p. 516), nominis delationem, non ipsum iudicium petitione effugi potuisse, id quod mihi confirmari videtur, quia in P. Clodi caussa id potissumum actum est, ut ante comitia sortitio iudicum fieret (Cic. ad Q. fr. II 1, 2; vid. Drum. II p. 320 n. 6), i. e. iudicium institueretur (non ipsum haberetur), ergo ne petere ei liceret, P. Clodius inter reos referretur.

quippe qui quid senatus maxuma pars censuisset sciret, receptum fuisse, nec si Sallustium hanc nominis delationem paulo anteceperit, id tanti est, ut propterea quod tradidit in suspicionem vocandum videatur. Iam videamus de altera caussa. Cum igitur lege praescriptum fuerit ut candidati tribus ante comitia nundinis coram populo se petere profiterentur (Beck. Ant. Rom. II 2 p. 37 et 49), verba illa *quod intra legitumos dies profiteri nequiverat* nihil aliud significare possunt, nisi Catilinam quo minus trinum nundinum (sive praesens sive absens) peteret impeditum fuisse, eaque re L. Volcatium Tullum pro caussa usum esse cur eius nomen se renuntiaturum negaret, id quod Hagenius l. c. p. 83 propterea sic institutum esse censuit, ne Catilina laederetur atque exacerbaretur. Set quid? num Catilinam tam inprudentem fuisse credibile est, ut se petere profiteretur, eum quod lege praescriptum esset facere nequivisset, propter quod iure ei petitionis potestas negaretur, aut tam audacem atque inpudentem, ut postularet uti lege solveretur, in quem gravissumae in senatu sententiae dictae essent? An consulem, si lex Catilinae petitioni obstaret, consilium publicum de ea re habiturum fuisse opinaris? Quod si Asconi locum diligenter nobiscum reputaverimus, professionem petitionis non de voluntate coram populo declarata intellegundam esse inde adparet, quod L. Volcatius ad consilium retulit, num Catilinae rationem habere deberet, s i p e t e r e t. Ergo si Asconi testimonio aliquid tribuendum, Catilina se petiturum professus est sive apud consulem, id quod non necessarium fuisse optume demonstravit Becker. l. c. p. 37 sq., sive alio modo, set eum L. Volcatius ex consili sententia se eum renuntiaturum negasset, a petitione i. e. ab professione apud populum destitit. Haec si consideraveris, quid est, quod cogat ut consulem legis praetextu uti, quam homini indignissumo atque optumatibus metuendo resistere maluisse statuamus? praesertim cum nobilitatem condemnationem Catilinae constanter voluisse inde adpareat, quod Asc. p. 90 eum postero anno ita liberatum esse testatur ut eum senatorum urna damnaret, quamquam nonnullos ex senatu, atque adeo L. Torquatum consulem ei favisse constat (Drum. V p. 410). Videmus ergo, cur credibile videatur Catilinam intra legitumos dies profiteri nequivisse, neque in scriptorum testimoniis, neque in rebus ipsis quidquam argumenti inveniri, verba quae apud Sallustium leguntur sola id testantur. Quid autem, si ea alio modo suspecta sunt? Primum enim libri vetustissumi atque optumi omnes *nequiverit* exhibent, quem coniunctivum Gerlachius ita defendere conatus est, ut verba illa non Sallusti neque senatorum esse iudicium, set ex mente Catili-

nae dicta esse, quem Sallustius quasi loquentem induxisset, diceret. Quod omnibus legibus ac rationibus grammatices repugnare [1]) non est cur pluribus exponam, cum nemini persuaserit, eoque minus, quod absurdum est h. l. scriptorem dicere qua re Catilina quod ab petitione destitisset se excusaverit, ubi de caussis dicit quibus ille ad coniurandum inpulsus sit. Set illud *nequiverit* glossatorem sapere, qui quod suspicaretur adscripserit, quivis facile concesserit. Set concedamus, id quod credibile non est, errorem librarii per omnes vetustissmos libros propagatum esse et Sallustium id quod in libris recentioribus invenitur, *nequiverat* scripsisse, num omnis dubitatio de eis verbis removetur ac tollitur? Inepte dici *nequiverat*, si caussa proferatur qua ad capiundam per vim rem publicam Catilina stimulatus sit, recte persentit Hagenius l. c. p. 81; nam ita non optumatium iniquitate, set sua culpa vel rerum necessitudine exclusus erat. Et cur tandem, cum *pecuniarum repetundarum reus* iam caussam reiectionis continerent, scriptorem alteram adiecisse credamus? Nonne, si utramque fuisse vel conperisset vel suspicaretur, eas coniungere debebat? An Sallustium ita amentem fuisse opinaris, ut cum apud auctores suos invenisset *quod intra legitumos dies profiteri nequiverat*, quamvis verba non intellegeret, tamen ea transscripserit, set antea caussam probabiliorem ac veri similiorem caussam *pecuniarum repetundarum reus* adiecerit? Cum igitur tam multa eis verbis ab scriptoris ingenio, ab aliorum testimoniis, ab re ipsa obstarent, denuo diligentius omni re pertractata, ab ea quam olim dixeram sententia, verba illa *quod — nequiverit* ex glossemate orta esse, non modo non dimotus, verum etiam in ea confirmatus sum.

Cat. 22, 2 quod in libris plerisque legitur *dictitare* ferri non posse omnes intellexere, nec quisquam Gerlachii rationem conprobabit, qui infinitivum historicum necessarium esse censuit (ed. nov. praef. p. XVII) quo quae antea dicta, *fuere qui dicerent*, adiuncta consuetudinis et iteratae actionis notione repeterentur, ne quis talia a Sall. ficta potius quam aliorum testimoniis confirmata putaret, cum iam Fabrius

1) Non vereor, ne quis obpositurus sit locos Cic. in Verr. I 30, 75 *qui in illa re quid facere potuerit non habebat*, II 21, 50 *facta sunt — ut in curia — posuerint*, ubi ex Lagom. 42 *ponerent* repositum est, IV 6, 10 *illa se habuisse venalia eaque se quanti voluerit vendidisse*, V 10, 27 *eo usque se praebebat patientem — ut eum nemo umquam in equo sedentem viderit*, Cael. ap. Quint. VI 3, 41 *hic subsecutus quo modo transierit — nemo sciebat*, cum eorum locorum diversas rationes esse adpareat.

exposuerit, consuetudini dicendi h. l. infinitivum historicum repugnare. Nec vero Sellingii (lect. Sall. p. 10 sq.) sententiae adsentior, qui *dictitare* turpem glossam iudicavit. Nam primum quae in nonnullis libris recentioribus inventae sunt scripturae, *dictam rem dictas res* similes, correctiones potius putandae sunt quam glossematis indicia. Deinde mirum esset, si glossator verbo frequentativo, quod ap. Sall. praeter Iug. 84. 1 nusquam legitur, uti maluisset, quam vel *fuere qui dicerent* repetere vel *dixerunt* sive *dicebant* adscribere. Tum cum adpareat omne hoc membrum non ad praegressum *aperuisse consilium suum*, set ad universam rem de circumlato sanguine corporis humani et tum demum patefacto consilio referri, aegre desideratur obiectum, quod praegressa omnia conplectatur, qua in re durities, quam Fabrius vere persensit, posita est, non in particula *atque*. Cum igitur veri simile videretur, *dictitare* ex conruptione potius ortum esse, quam ex glossemate, in eam coniecturam ineidi, ut *ita* ab Sallustio scriptum crederem, ac cum ei superscriptum esset *dictam rem*, id *dictitare* verbo originem dedisse.

Multis modis dubitationi obnoxius est locus Cat. 26. 5. Nam pro *consuli* vetustissumi libri *consulibus* exhibent, et *in campo* multi boni libri omittunt. Quae res Linkerum videntur movisse ut *quas — fecerat* glossatoris esse uncis additis declararet. Boni autem rerum scriptoris est, ita narrare, ut ne eo quod dicat nulla dubitatio oriri possit. Ponamus igitur illa verba deesse, quis haec verba de aliis insidiis intelleget, quam de eis, de quibus supra dictum est *omnibus modis insidias parabat Ciceroni?* Set credisne Sallustium ignorasse, ipso comitiorum die ab Catilina et Autronio homines armatos ad caedem faciundam in Campum deductos esse (Cic. pr. Mur. 26. 52. pr. Sull. 16. 51)? credisne id, quod summae audaciae esset, quo nihil periculosius accidere potuisset, eum omittere voluisse? Ergo haec in suspicionem vocari nequeunt, quin iniuria fiat scriptori. At miramur *in campo* excidisse, multo magis optumos libros *consulibus* exhibere. Nam, ut G. Antonium, etiamsi comitia non haberet, a campo non afuturum ac futurum fuisse ut ei, si Ciceronem adiuvaret, Catilina non parceret largiamur, tamen si Sallustius *consulibus* insidias factas narrasset, omnibus testimoniis repugnaret atque merito in neglegentiae crimen incurreret. Ergo verbis *in campo* carere non possumus, at alterum neque necessarium est — cui enim insidiae factae essent omnes sciebant — et quoniam *consulibus* antiquior scriptura est suspectum. Quid igitur? nonne *consulibus* glossema videtur, quo recepto *in campo*

omissum est? Set eodem modo 27, 2 *consulibus* — ea enim vetustissumorum atque optumorum librorum scriptura est — pro glossemate habendum, eoque magis, quod eo addito aequabilitas membrorum *insidias tendere, parare incendia* turbatur.

Cat. 30, 3: *ei utrique ad urbem inperatores erant, inpediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat,* Linkerus extremum membrum relativum uncis circumdedit. Cuius suspicionis quae caussae sunt? Num in libris manu scriptis est, quo verba illa suspecta fiant? Nihil profecto. An quod grammatici Sergius et Servius, cum ob alias caussas hunc locum adferrent, ea omisere, idoneum argumentum est? Minume. An Sallustio indignum eisdem verbis bis uti? Nam Iug. 80, 5 *quam rem* inquit *oportunissumam incepto bello pauci inpediverant, caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat* et similiter Iug. 31, 12 *quis fides decus pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt.* Neque ab Sallusti consuetudine id abhorret et laudi potius ducendum, si idem perditum genus hominum eisdem verbis saepius notavit. An veritas obstat, quo minus ea ab Sallustio dicta putemus? At nonne, qui Gn. Pompeio aliisque inservientes (vid. Drum. II p. 54. Momms. R. H. III p. 154) triumphos illorum virorum prohibebant, pretio potius quam vero studio rei publicae agebant? Nisi forte opinaris Sallustium tam caecum fuisse, ut qui nobiles homines inpugnassent vituperare nollet, aut ita Gn. Pompeio amicum, ut eius ministros turpes reprehendere non auderet. Has ob caussas uncos removendos censui.

Eiusd. cap. 6 *decrevere*, quod in multis libris inter *praemium* et *servo* interpositum est, glossema esse, codices vetustissumi et optumi testantur. Similis est locus 35, 6 *nunc Orestillam trado tuaeque fidei conmendo*, ubi quod 𝔅 cum tribus novissumi generis codicibus exhibet *tibi conmendo* ex glossemate ortum summus relicuorum consensus evincit. Vide infr. de 46, 5.

Quamquam autem vereor, ne qui aliis locis glossematum suspiciones reiecerim, ipse nimis suspicax et acutus audiam, tamen non tacebo Cat. 31, 8 mihi *civis* male adiectum videri, his quidem de caussis: primum *inquilinus* ubique substantivum est; quamquam autem substantiva haut raro adiectivorum naturam induunt, tamen id in vocabulo iuris, nisi usu receptum esset, minus facile fieri licebat. Deinde *civis urbis Romae* ubi dictum sit, nescio (cfr. Nieb. H. R. II p. 75), ac vehementer dubito an illis temporibus dici potuerit, quibus civitas romana non urbis pomoerio continebatur, set multis oppidis et civitati-

bus data erat, ut iam non esset *civitas urbis Romae* set *civitas populi romani*, Cic. de Leg. II 2, 5. Ac quamquam eodem Cicerone l. c. auctore qui in municipiis nati erant, ortu municipes erant, civitate Romani, habebant alteram loci patriam, alteram iuris i. e. Romam qua excepti erant, a qua univorsa res publica nomen habebat, tamen Romani erant, non urbis Romae. Tum inquilinus civis Romanus recte is adpellatur, qui cum Romam venisset, particeps factus est civitatis romanae, quo iure municipiorum genus utebatur (Paul. Diac. p. 105. Gell. N. A. XVI 13, 6 et 7) — vel qui inquilinatu (utar hoc vocabulo decendi caussa) civis romanus factus est. Sic recte Ciceronem dici non potuisse certum est, at tribuendum id videtur Catilinae audaciae, cum postea L. Manlius Torquatus simili convicio illum peregrinum adpellare ausus sit (Cic. pr. Sull. 7, 22 et 23). Postremo quid referebat Catilinae civitatis admonere, cum ex omni nexu facile adpareat eum nihil aliud consuli obprobrio dare voluisse, nisi Romam urbem ei patriam non esse, quod recte intellexit Appianus b. c. II 2 p. 536 Bekk. *Κατιλίνας δ' αὐτὸν ἐς ὕβριν τῶν ἑλομένων ἐπέσκωπτεν, ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους καινὸν ὀνομάζων — — ἐς δὲ ξενίαν τῆς πόλεως ἰγκουΐλῖνον ᾧ ῥήματι καλοῦσι τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.* Neque quemquam quidquam desideraturum esse persuasum habeo, si *civis* abesset, quid quod eo remoto omnes difficultates tolluntur. Quod si quis quaesiverit unde illud in textum inlatum sit, meminerit multas non glossas set glossarum reliquias ab librariis receptas esse, et facile fieri potuisse, ut cum super *inquilinus* scriptum *peregrinus civis* idque male receptum esset, *peregrinus* deleretur itaque *inquilinus civis* remaneret.

Cat. 32, 1 *multa* cum Cortio delevi. Neque enim intellegitur, cur tandem Catilina multa potius, quam omnia quae bello usui forent ante capere voluerit, et spurium esse scripturae varietas, quae in libris est, ostendit.

Quoniam verba dicendi et intellegendi saepe ab Sallustio ante accusativum cum infinitivo omittuntur, ubi ex praecedentibus aliquo modo subpleri possunt, nonnullis locis, ubi ab ea consuetudine discessum, glossematis orationem vitiatam esse viri docti statuerunt. In qua re diligenter cavendum est, ne quod saepe factum, id scriptorem aliter facere non potuisse statuamus itaque qualis eius indoles fuerit fingamus potius quam ex eis quae tradita sunt perspicere studeamus. Cat. 46, 2 *at illum ingens cura atque laetitia simul occupavere; nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem*

*periculis ereptam esse; porro autem anxius erat dubitans in maxumo scelere tantis civibus deprehensis quid facto opus esset: poenam illorum sibi oneri, inpunitatem rei publicae perdundae fore credebat*, verba *laetabatur intellegens*, deinde *anxius erat dubitans*, tum *esset*, denique *credebat* ab glossatoribus addita esse cum alii, tum Linkerus censuit. Ac de *esset* quidem supr. p. 48 dixi, de reliquis hic agam. Primum igitur in libris vetustissumis atque optumis nihil prorsus est, quod ullum eorum verborum suspectum reddat. Deinde Sallustius h. l. non quid transactum sit alacriter et vivide refert, sed quid de Ciceronis habitu animi in tanta re compertum habeat [1]) exponit. Quod qui facit, tranquille et diligenter cogitare circumspicere perpendere debet, eoque magis ubi de viro agitur, uti egregio ita ab permultis infestato. Quo animi habitu qui scribit, is solet copiose ac distincte omnia dicere cum natura ipsa cogente, tum eo consilio ne lectores in errorem inducantur. Igitur non mirum quod Sall. in tali re alius est, quam in aliis. Porro cum antea *curam* et *laetitiam* permixtas fuisse dixisset, nonne perspicuitas postulabat, ut qua re Cicero laetus, qua re anxius fuisset distincte diceretur, id quod eo minus perspicuum futurum erat, quod chiasmus admissus; qua re verbis *laetabatur* et *anxius erat* aegre careremus. At fortasse participia *intellegens* et *dubitans* omitti potuere. Illud si abesset, qua re gavisus esset exprimeretur, non quo magis sibi persuasisset iam periculum civitatis pro remoto ac superato habendum esse, eo magis laetitiam auctam esse, id quod maxume h. l. idoneum. Quod si retinetur, adeo membrorum aequabilitas efflagitat, ne *dubitans* removeatur, praesertim cum sic significetur, recurrente semper dubitatione quid consili capiundum esset, anxiam curam revocatam esse. Postremo ubi *laetabatur* et *anxius erat* non expelluntur, si tertium membrum verbo suo careret, id summo vitio scriptori vortundum esset. An *credebat* ineptum est? Non magis quam Cat. 20, 1. 24, 4 (cfr. 27, 1). Iug. 107, 4. Profecto omnis periodus tanta arte perfecta, ut admirabile ingenium eius putandum sit, qui Sallusti orationem ad tantam elegantiam verbis tam aptis subplendis expoliverit. Qua re veritus ne scriptoris laudem minuerem potius quam augerem, praesertim cum libri manu scripti ne minumum vestigium quidem glossematis ostenderent,

1) Non agitur h. l. de eo, num recte Sall. Ciceronem haec repugnantem fecerit, sed quae olim contra Drum. V p. 491 monui, ea etiamnum teneo. Vid. diss. meam *quo consilio* cet. p. 9. Hagen l. c. p. 241 sq.

ab uucis adpingendis me continui. Transeo ad relicuos locos. Cat. 47, 1 *docetque* uncinis notatum est, at ne eo quidem loco quidquam in libris optumis variatum. Quod si diligenter omnem locum consideraveris, intellecturum te esse credo, *omnia uti gesta erant aperit* non posse non referri ad interrogationem *de itinere*, *de litteris*, *postremo quid aut qua de caussa consili habuisset*, ad ea quae 48, 2 fusius commemorantur: quibus si adiungatur sine ullo vinculo *se paucis ante diebus — in ea coniuratione esse*, obscuram ac difficilem fieri orationem, quod ita quasi minuantur, quae Volturcius responderit. Cum igitur haec ad ea, quae antea interrogatus esse dicitur, insuper accedant, *docetque* aptissume adiectum esse adparet. Simile est *dicitque*, quod quattuor locis Iug. 90, 2. 106, 1. 2. 112, 1 Cortius et Linkerus eiciundum censuere. At primo loco *dicitque*, quod ab libris prorsus non suspectum, adeo necessarium, quoniam non id refertur, quod Marius eis quae A. Manli mandavit addiderit, set quod evolgari voluerit, quo inceptum suum occultaretur. Iug. 106, 1 autem num *dicitque* suspectum fit eo quod in solo γ *dixitque* legitur, aut quod ap. Serv. ad Verg. Aen. V 540 scriptum *appellat vel dicit vel salutat?* An ineptum est, id quod Volux, postquam ab Sulla adpellato aditus ei datus est, exposuit, eum verbo dicendi adiungi? Quod autem paulo post sequitur rursus *dicitque*, an scriptore indignum est? Quamquam multos id non concessuros neque persensuros credo, tamen libere dicam mihi omnem rem uti gesta esset depingere voluisse Sallustium videri: illo *dicitque* adiuncto nos quasi oculis cernere adeurrentem Volucem, prae pavore vocem emittere nequeuntem, denique conlecto ac confirmato animo quid cognoverit exponentem. Pari modo 112, 1, quoniam hoc dicitur: adpellat et cum venisset dicit, *dicitque* defendundum puto. Postremo Iug. 71, 5: *Iugurtham placandi gratia adcedit; dicit, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa; lacrumans obtestatur per amicitiam* cet. Linkerum recte *dicit* in suspicionem vocasse eo minus mihi persuadeo, quod quoniam ultimum membrum suum verbum habet *obtestatur*, aequabilitas periodi, ut alterum eo non careat, postulat, nec quod in T *dicit* omissum, in paucis *dicitque* scriptum est, satis est ad confirmandam suspicionem. His locis non prorsus dissimilis est Cat. 45, 2 *Flacco et — Pomptino inperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur: cetera uti facto opus sit ita agant permittit. Illi homines militares* cet. Num *permittit* glossema esse inde iure concludatur, quod plerique libri locum ita con-

ruptum exhibent: *permittit illis homines*, hoc ut demonstrent ipsis eis permitto, qui vel uncis inclusere vel eiecere. Set quoniam unde coniunctivus pendeat, id novum neque ullo connexu intersertum membrum *rem — mittebantur* ab eis, quae sequuntur, separat, meo iure deleto *permittit* orationem vitiosiorem fieri aut contortiorem mihi contendere videor. Superest locus Cat. 48, 2 *veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat: namque alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele inmoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant.* Varietatem scripturae si perlustraveris, quod *putabat* suspectum reddat nihil invenies. Nam T multis modis contaminatus et conrectus est, ghs[1] erroribus scatent. Quod si id verbum omittitur, ex praecedentibus *fore* subpleudum esse adparet. Quid autem? num Sallustius dicit, quale incendium futurum esse plebi visum sit, an quid de omnibus incendiis indicaverit? Apertum est plebem omnium incendiorum crudelitatem et coërcendi ac restinguendi difficultatem reformidasse. Quare *putabat* verbo careri non potest.

Set illud ipsum caput Cat. 46 tam multis glossematis scatere viri docti iudicavere ut veluti tabes vitiandae orationis pruritus quidam librarios invasisse videatur. Ac primum quidem 3 *que* eiectum est, quod ad rem aptissumum esse, quoniam Caeparius in praecedentibus nominatus non est, conlatis locis Cat. 30, 7. 47, 3. 53, 1. Iug. 19, 7 adparet; *quendam* autem quin recte cum optumo libro P[1] anteponatur, id quod inconsultius antea negaveram, non dubium est. Facile igitur perspicitur, *quendam* ob simile initium omissum et alio loco inlatum esse, eandemque caussam fuisse cur in nonnullis libris *que* eiiceretur. Meliore iure §. 4 *ex urbe* expelli videtur, quod in P[3] omissum, in B superscriptum est. Cum vero P[3] ad B exaratus videatur, nihil aliud testatum est, nisi in uno codice superscriptum esse, unde utrum veri similius videtur errore omissum esse, an quemdam librarium quod in archetypo superscriptum esset sapienter recipere noluisse? Et quamvis non necessarium illud esse concedam (cfr. Iug. 54, 10. 67, 3. 69, 4. 106, 2), tamen non minus recte adiectum contendo, quam *ex oppido* Iug. 76, 1. Contra infra §. 5 *in senatum*, quamvis omnes libri teneant, ab Sallustio scriptum esse mihi persuadere non possum. Nam si cum Gerlachio et Fabrio censeas Sallustium primo nihil aliud cogitasse quam Lentulum ab Cicerone ipso perductum esse in senatum, quem in locum senatus convocatus esset post modo demum eius menti quasi occurrisse, vide utrum scriptori obprobrium dementiae cuiusdam

facere malis, an glossatori explicandi studium, quid ad *perducit* intellegendum esset, tribuere. Quod autem Linkerus *venire iubet*, quae verba ne Cortius quidem in suspicionem vocare ausus est, uncinis adpositis notavit, admiror, quippe cum *cum custodibus perducit* dici non posse videatur, nihil autem magis cavendum sit, quam ne licentiam scriptoribus adfingamus.

Cat. 48, 1 verba *coniuratione patefacta* ab Linkero pro glossemate habita sunt, credo nullam aliam ob caussam, quam quod eis interpositis relativum ab eo ad quod pertinet separatur. Nam certe paene necessarium videtur ut adiciatur, qua re illa mentis inmutatio incesserit, cum bellum, cui initio plebes favisse dicitur, nondum finitum sit. Quamdiu bellum civile agi credebat, plebes Catilinae favebat, coniurationis consilia clandestina reformidabat, quae nisi patefacta essent non tanta subito mutatio mentis facta esset. Tum ut concedamus relativi relationem h. l. aliquid durius habere, quam infr. §. 4. Iug. 6, 3 (noli hunc cum Kritzio referre Iug. 14, 23. 24, 8) atque adeo quam Tac. ab exc. D. Aug. I 74. Vell. II 47, 4, quoniam ibi ab relativo novum membrum incipit, tamen in ea re non obfeuduudum, primum quia nemo qui paulo adtentior esset, *quae* ad *coniurationem* relaturus fuit, deinde membrum relativum artius cum *mutata mente* coniungendum esse adparet, ita ut *quae — mente* in parenthesi adiecta esse recte dicatur. Eiusdem cap. §. 4 extr. neque scripturae varietas, neque Sallusti consuetudo mihi tanti visa sunt, ut *e* ciciundum censerem.

Contra glossemate inquinatum esse adparet locum Cat. 49, 1 *Q. Catulus et G. Piso neque precibus neque gratia neque precio Ciceronem inpellere potuere.* Nam ut auctoritatem Prisciani X p. 539 Hertz, qui hunc locum ob perfecti *quivi* usum adtulit — qua re necessario contra omnes libros *quivere* restituendum — in relicuis verbis minus valere contendas, tamen quod in libris multis, recentiore primi generis familia optumisque secundi, verborum ordo inmutatus est, unum ex tribus illis substantivis ex glossa inrepsisse confirmat. Nec quocumque modo te torseris, *gratiae* vocabulo *preces* contineri negare poteris; nec cum alio substantivo coniunctum illud est, quam cum *pretio* vel *pecunia* (Cat. 52, 23. Iug. 16, 1. 27, 2. 29, 3. 35, 8). *Neque precibus* igitur quin expellundum sit non dubium est. Sed diu multumque haesitavi utrum *neque gratia neque precio*, quod Sallusti codices commendant, an cum Prisciano *neque precio neque gratia* scribundum esset. Atque illud quidem suadere videbatur quod sic homines illi a gratia, i. e. precibus ac pollicitationibus, ad precium, gra-

vius incitamentum, progressi dicantur, at quia fieri potuit ut alter illorum Piso precio, alter Catulus gratia apud Ciceronem uteretur, itaque chiasmus restituitur, etiam hac iu re Prisciano, quem hunc locum rectius quam codices tradidisse constaret, obtemperandum putavi.

Eiusdem libri 50, 2 mirum est, quod libri manu scripti praeter tres recentioris aetatis [1]) omnes exhibent *Cethegus — per nuntios familiam atque libertos suos lectos et exercitatos orabat in audaciam, ut grege facto cum telis ad sese inrumperent.* Quod cum ferri non posse manufestum esset, plerique locum ita sanandum putavere, ut transponerent: *lectos et exercitatos in audaciam orabat*, quod ita diei potuisse, quamquam *exercitatus* sequi solet praepositio *ad* et ubi de audacter factis dicundum pluralis vocabuli *audacia* usitatus est (vid. Klotz Lex. s. v.), non negabo, tamen cum per se intellegi possit quo nomine illi *lecti et exercitati* adpellentur — *lectus* enim adiectivi vim nactum esse et significare qui maxume idoneus sit, constat; cfr. Cat. 59, 3. Fr. III 65, 4; ad lectionem autem cum accedit exercitatio, quorsum haec spectet, non ambiguum —, cumque falsus locus, quem in codicibus tantum non omnibus occupavere, ea ex margine vel intervallo linearum archetypi in textum inlata esse patefaciat, mihi cautius videtur ea ad illum locum unde profecta sunt remittere.

Cat. 51, 6 utrum *et* ante *in pace* delendum an retinendum sit, in incerto relinquatur. Mihi, quoniam P¹ et m consentiunt, neque disiunctio necessaria est, omittundum videtur.

Multis dubitationibus obnoxius est locus eiusdem cap. §. 27 *omnia mala exempla* cet. Etenim si libros perlustraveris vetustissumam scripturam esse *ex rebus bonis* invenies (𝔅 cum plerisque codd. generis primi in ea consentit), praeter eam aliam antiquam extitisse *ex rebus domesticis*, eas duas autem in nonnullis conmixtas esse; set *rebus* omnes confirmant, praeter $P^2p^6$ qui omittunt, et $p^3p^5\gamma$ qui *bonis initiis* exhibent. Qua re sobrii est diligenter quaerere utrum *rebus* pro glossemate habendum sit, id quod plerique censuere — nam Gerlachius ed. nov. p. XIX suspectum esse dixit, Linkerus uncis adpositis idem significavit — an defendi atque idonee explicari possit. Quod ut recte fieri possit, quae Caesaris sententia sit considerandum videtur. Conmemorat postea triginta viros, quos Lacedaemonii Atheniensibus devictis inposuere, et L. Sullam. Ei utrique potestate sua, cum primum

1) Eorum g² ad exemplar ab homine non inperito conrectum scriptum esse constat.

ad puniendos scelestos atque inprobos homines contulissent, postea ex summa lubidine usi in omnes bonos saevivere. Iam id §. 35 neque in M. Tullio neque his temporibus verendum esse declarat, set fieri postea posse, ut quod nunc in scelestos homines permissum sit, in alios non dignos transferatur. Monet ergo ne Ciceroni maior potestas — de civibus sceleratis subplici sumundi — tradatur, non quo illum ea abusurum credat, sed quod postea alius, cui eadem potestas propter falsam suspicionem tradita sit, quo minus abutatur prohiberi non possit, quod bono et prudenti recte permittatur, id ignaro et minus bono tradi periculosum esse (27) [1]. In quo illud facile perspicitur, exempla triginta virorum Atheniensium et L. Sullae ad praesentem rerum statum propterea non prorsus apta esse, quod illi perpetuam nec legibus circumscriptam potestatem obtinuerant, Cicero anno exacto consulatum depositurus fuit [2], unde intellegitur in eis exemplis hoc potissumum spectari, quibus initio cives laetati essent, ea mox in eorum summam calamitatem conversa esse, cum puniendi licentia ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transferri soleat. *Novom illud exemplum* igitur patet esse extraordinariam puniendi potestatem, quae in scelestos cives alicui tradita sit, qualem nunc in coniuratos conprehensos Ciceroni decreturi erant patres conscripti. Id membrum autem praecedenti sententiae conmuni obponitur. Quae qualis esse debet? Si quid video, ita recte procedit argumentatio: Potest aliquid, quod ad conservandam rem publicam decernitur, laetum atque utile esse et merito fieri, set cavendum est ne malum exemplum constituatur; ubi inperium ad ignavos aut minus bonos translatum fuerit, ei indignissume illo exemplo abutentur, innocentes summa iniuria perdentur. Ita demum exempla triginta virorum Atheniensium et L. Sullae aptissuma sunt. Igitur talisne sententia inest in verbis *omnia mala exempla ex bonis orta sunt*, quae alio modo accipi non possunt, nisi: quaecunque mala exempla facta sunt, ea initio bona fuere? Tum *novom illud exemplum*

1) Plutarchus vit. Caes. 7 cum ita de Caesaris sententia exponat: *λόγον διῆλθε πεφροντισμένον, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν ἀκρίτους ἄνδρας ἀξιώματι καὶ γένει λαμπροὺς οὐ δοκεῖ πάτριον οὐδὲ δίκαιον εἶναι μὴ μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης*, ultima verba ad hanc partem orationis pertinere adparet. Nam et Athenienses per triginta viros, et Romani per L. Sullam primo sibi inperio eorum qui malo rei publicae creverant liberati visi sunt remque publicam ab pernicie conservatam, ergo illos summa necessitate interfectos putavere.

2) Callide ita Caesarem rem instituisse, ut aliquam suspicionem moveret, fore ut Cicero alter Sulla evaderet, vix est quod moneam.

ita dictum est, ut pro universali singulare substituatur et *illud* ad tempus potissumum referatur: novom id exemplum, quod superiore tempore editum est. Minoris momenti est, quod hoc non recte per *set* obponitur praegressae sententiae — id quod recte iam Herzogius senserat —, quoniam ea difficultas tollitur facillima emendatione *scilicet.* At gravius est, quod ita Caesar ipse vim argumentationis suae minuit, si illud exemplum, quod decreturus est senatus, bonum esse concesserit. Quod alicui merito accidit, ideo non bonum exemplum est, set malum potius, quia idem etiam in alios statuitur. Quod si dicat bonum exemplum edituros esse senatores, set futurum ut id postea malum fiat, neminem facile ab ea sententia deterreat, omnes abusum non tollere usum clament, quod utile sit nunc statuendum, abusum cavendum esse. Ex omni autem loci connexu illud perspicitur id agere Caesarem, ut quam malum sit exemplum gravissume ostendat, ut terrorem atrocissumae dominationis senatoribus incutiat. Eo spectare exempla, quae tum commemorat, etiam inde intellegitur, quod post illa pergit: *Atque haec ego non in M. Tullio neque his temporibus vereor,* quae apertissume eius sunt, qui cum gravissumam suspicionem moverit, iniustitiae crimen ecfugere studeat. Ergo sententia illa habet, in quo merito obfendamus. Ad quae adcedit, quod nullo modo intellegimus, quid tandem homines moverit, ut eum ad *bonis* subplere *exemplis* in promptu esset, planissumam sententiam interposito *rebus* conrumperent. Quod si *ex rebus bonis* legitur, sententiam hanc esse patet: omnia mala exempla ex prosperis rerum condicionibus orta sunt i. e. prosperae rerum condiciones semper homines induxere ut mala exempla statuerent, malum esse quod in rebus prosperis bonum et utile visum erat postea demum cognitum est. Quae sententia aptissuma est ad praecedentia: moneo vos ut caveatis ne quid inconsultius statuatis, ne malum exemplum edatis; nam usu conpertum est omnia mala exempla, cum res prosperae viderentur, edita esse; aptissuma est ad sequentia, modo pro *set* scribatur *scilicet:* natura scilicet fit, ut novum exemplum, quod felici rei publicae condicione constitutum est, ubi imperium ad minus bonos pervenerit, advorsus non merentis adhibeatur. Convenit porro ea sententia cum exemplis commemoratis. Nam cum triginta viri, qui Athenis imperavere, et Sulla recuperata re publica cum summa licentia potestate abuterentur, quod salutare, faustum, laetum visum erat quod felicissumus sibi visus summa voluntate illis permiserat, in perniciem ac miseriam convorsum esse summo cum dolore populus cognovit. Convenit denique cum omnis argumentationis conclusione. Nunc,

Caesar inquit, omnia nobis fausta ac prospera sunt, nihil periculi timendum videtur [1]); at mala ex eo exemplo, quod decreturi estis, consequi possunt. Set quem ad modum *rebus* tuendum puto, sic in sequentibus *eius*, unde perversum *cives* natum, nullo artificio retineri posse arbitror.

Etiam Catonis oratio c. 52 nonnullis locis glossematis vitiata est. Primum §. 20 *res* glossema esse cum Augustini testimonium et scripturae varietas — in qua illud animadvortundum in m deesse — evincit, tum consuetudo Sallusti (cfr. Cat. 51, 11 *non ita est.* Iug. 85, 42 *verum non est ita;* contra Iug. 53, 81 *res humanae ita sese habent.* 85. 23 *et profecto ita se res habet).* Item §. 25 scripturae varietas eeficit, ut *et dubitatis* ab interpolatore profectum censendum sit. Nec minus *iam* §. 33 interpolatum esse, quod inter 𝔓 et alios vetustos libros convenit, patefacit. Postremo §. 36 *ego* quin ex glossa ortum sit, cum in vetustissumis libris aliis alio loco legatur, non dubium videtur eoque minus, quod nulla caussa reperitur, cur Cato suam sententiam aliorum graviter obponat, quippe qui D. Iunio Silano adsentiatur; nisi forte Caesarem 51, 43 *set ita ego censeo* dicere debuisse opinaris. Set difficilior est locus §. 35, qui vetustissumis libris sic traditus est: *Catilina cum exercitu faucibus urguet, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes.* In quibus *urbis*, si eo careri possit, suspectum est, cum 𝔓 omittat. Set Linkerus Em. Sall. p. 19 sq. cum hunc locum ad imitationem Cic. in Cat. 1 2, 5 *Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus, eorum autem castrorum inperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videtis intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem* compositum arbitraretur, cum *faucibus urguet* et an dici potuisset dubitandum neque *intra moenia* recte obponi videretur, cum denique glossam *italiae*, quae in nonnullis libris inventa est, et *in* ante *faucibus* in paucis [eis vero recentioris aetatis neque ullius preti] additum graviorem conruptelam indicare crederet, scribundum censuit *Catilina cum exercitu in faucibus Etruriae agit, alii intra moenia atque in senatu sunt hostes.* Quam acutissumam et ingeniosissumam coniecturam mihi

1) Copiosius si ea Caesar explicare voluisset, haec dixisset: Nunc omnia prospera sunt: civitas ex periculo erepta, senatus auctoritas firma est; valent leges, resistitur improbis; habemus consulem, habemus eos magistratus, qui ne potestate sua abutantur non verendum sit.

inprobandam videri eo minus timide confiteor, quod M. Hertzius, qui quam bene Linkerus de Sallustio meruerit mecum praedicat, Philol. XII 2 p. 378 advorsus eam disputavit. Ac primum quidem *faucibus urguere* neque legibus sermonis latini neque consuetudini repugnare, exemplis iam per alios conlatis Plaut. Cas. V 3, 4 (783) *omni modis miser: ita manufesto faucibus teneor*, Cic. pr. Cluent. 31, 84 *istam conciliationem gratiae Staienus tum recenti re, eum faucibus premeretur, excogitavit*, Val. Max. V 3, 2 *qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus obpressam* (al. *adprehensam*) *rem publicam strangulari non passus est*, ipse, credo, Linkerus ingenue concedet. Tum etsi Ciceronis locum quandam cum h. Sallusti similitudinem habere nemo negabit, tamen quae intercedat divorsitas non minus considerandum est. Quippe Cic. illa dixit, cum copias G. Manlius conparare incepisset, Catilina etiamtum in urbe esset atque adeo in senatum venire auderet, Cato, cum Catilina cum exercitu ad urbem adventaret, quique ab eo relicti erant, aut conprehensi essent aut profugissent. Ciceroni igitur castra in faucibus Etruriae posita esse dicere licuit, Cato recte Catilinam cum exercitu faucibus urguere dixit; Cicero ducem illius exercitus in senatu sedere dicere potuit, Cato, quamquam Caesarem in suspicionem vocavit (§. 16), tamen conprehensis principibus coniurationis si adeo in senatu hostes adsidere dixisset, obstrepentium tumultu perculsus foret. Illud certum est, quod ap. Cic. *in senatu* scriptum est, nihil caussae praebere, cur ap. Sall. idem restituendum arbitremur. Ceterum his verbis explicari *undique circumventi sumus* eaque respondere illis quae §. 24 dicta sunt *dux hostium cum exercitu supra caput est*, tum variantibus codicum paucorum scripturis nihil tribuendum esse, quoniam copiose atque adcurate Hertzius exposuit, omittunda puto. Set is ipse *intra moenia atque* et *urbis* subdita esse arbitratus est. De *urbis* quoniam 𝔙 omittit, concedo, relicuis haec mihi videntur obstare. Primum omnium ubicumque *in sinu esse* de homine dicitur, semper significat in conplexu (aut in intima familiaritate) esse. Cfr. Cic. ep. ad fam. XIV 4, 3 *Cicero meus quid aget? Iste vero sit in sinu semper et conplexu meo* (similiter ea coniuncta sunt in Cat. II 10, 22 ubi Muretus obscaenitatem quandam inesse recte sensit. Add. in Verr. lib. I 10, 27 *calumniatores ex sinu suo adposuit*), ad Q. Fr. II 13, 1 *de Pompeio adsentior tibi, vel tu potius mihi. Nam ut scis iam pridem istum canto Caesarem. Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor*. Qua re nisi aliquid adcedat, *in sinu* de urbe non intellegetur, atque adeo qui faucibus urgueat propior esse videbitur,

quam qui in sinu est. Ea obscuritas tollitur, ubi praecedit *intra moenia*. Deinde minume inepta huic loco est gradatio, qua *intra moenia* adiuncto *atque in sinu* explicetur simul et augeatur, nec membrorum aequabilitas ita turbatur, uti ferri non possit.

Cat. 55, 1 cum plerique vetustissumi atque optumi libri *tresviros* (sic enim pro *triumviros* scribundum censeo) *quae ad subplicium postulabat parare iubet* contestarentur, in paucis *ad* erasum, in duobus supra lineam scriptum esset, omnes qui edidere Sallustium praepositionem illam uno fere consensu eiciundam decrevere. Atque omissa praepositione oratio habet quidem quod placeat et consuetudini scriptoris optume convenire (cfr. Cat. 44, 5. Iug. 12, 3. 17, 1. 35, 5. 52, 5. 54, 6. 85, 29. 56, 1. 70, 3) videatur; quod ipsum paucos illos librarios qui erasere videtur conmovisse. At contra difficile dictu est quid tandem glossatores inpulerit ut locum planissumum non inlustrarent, set tenebris obfunderent. Tum an ineptum est dici Ciceronem non modo quae subplicium postularet, set quae ipse quo illud tuto ac celeriter perficeretur inperanda putaret, parari iussisse? Cum igitur illud scribere potuerit Sallustius quod in libris est, quamvis praepositionis omissio quasi blandissume adrideat, tamen non delendam censeo. Set uti hoc loco *ad* tutari audeo, sic non possum non defendere Cortii sententiam, qui infra §. 5 *vindices rerum capitalium* delendum iudicavit, in qua plerisque viris doctis atque adeo Linkero non satis idoneis caussis motus esse visus est. Scilicet errasset Cortius, si tresviros capitales ipsos gulam perfregisse opinaretur, quod fuit carnuficum, nec vero cum *vindices rerum capitalium* tresviros dici putaret. Nam apud Cic. de Legg. III 3, 6 lex de magistratibus minoribus praecipit: *capitalia vindicanto*. Tum quid adiecta verba *quibus praeceptum erat* sibi volunt? Utrum ei carnufices, quibus praeceptum erat, distinguendi fuere ab aliis, an dicundum erat eos ante quid agere deberent edoctos atque instructos esse? Haec verba per se aptissuma sunt ad eos qui illud iussi perfecere significandos, ad *vindices rerum capitalium* relata supervacanea videntur ac paene absurda. Ad quae cum adcedat, in libris ita variatum esse, ut aliquid turbatum fuisse adpareat, Cortium recte iudicasse arbitror.

Cat. 57, 1 quod olim defenderam, *Transalpinam*, nunc abiciundum censeo, quamvis omnes libri teneant. Quamquam enim quin Catilina Allobroges sollicitatos iam ad suas copias adiungere voluerit (Drum. V p. 566 et 569) dubitari nequit, tamen scriptor, qui viam describat *(per tramites)* et eis locis, in quae ea ducit, quasi transiliens longin-

quiorem finem itineris adiungat, merito in vituperationem incurret, quod sentiens aliquis *cisalpinam*, quae scriptura in paucis libris inventa esse dicitur, conrexit. Qua re non dubium videtur, quin grammaticus quidam doctrinam aut ingeni acumen ostentare cupiens ansam dederit vitiandae narrationis.

Cat. 58, 5 *quo in loco res nostrae sint* suspectum non esset, nisi 𝔅 cum PBP³P⁴ aliis *in* omitterent. Nam recte dici ostendunt loci, Caesaris B. G. II 26, 5 *qui cum ex equitum et calonum fuga quo in loco res esset quantoque in periculo et castra et legiones et inperator vorsaretur*, quique multis nominibus huic Sallusti simillumus Liv. VII 35, 7 *in eo enim loco res sunt nostrae ut vobis — auctor sim. neque enim maneatis an abeatis hinc deliberari potest.* Qua re indicium inde pendet, utri codicum generi plus tribuendum sit, nec tamen illud dubium quin *in* additum quam omissum esse credibilius sit.

Cat. 60, 1 *omnibus rebus exploratis* Linkerus *rebus* uncis notavit. At quamvis Sall. Iug. 46, 6 *explorare omnia*, 90, 5 *omnibus exploratis*, 93, 5 *exploratis omnibus* scripserit (Iug. 53, 7 *rem exploravissent* divorsum est), tamen in *rebus* eo minus offendundum est, quod fortasse Sallustius exprimere voluit Petreium non solum loci naturam et hostium aciem, set etiam cuius generis milites essent, quibus in locis qui duces curarent, ubi Catilina constitisset, exploravisse. Quod si illud propterea in suspicionem vocandum censeas, quod in duobus recentioris aetatis libris omissum, in F alio loco conlocatum est, in uno deuique s¹ *locis* scriptum, profecto permultis vocabulis haec scripta Sallusti spoliare possis. Contra ab libris suspectum est, quod paulo post ante *ferentariis* legitur, *a* et enim ablativus de copiis per quas aliquid dux perficit dictus sit (vid. interpr. ad Caes. B. G. I 8), hoc exprimitur: unde duces ferentariis usi proelium committere possent. Postremo eiusdem cap. §. 6 quod nomen *Catilinae*, quo careri nullo modo potest, in vetustissumis libris divorso loco conlocatum, in aliis omissum est, in archetypo illud excidisse planum est atque apertum. Qua re quaerundum erit, annon ante aliquid omissum sit, cum sane desiderari possit, quid Catilina fecerit ubique vorsatus sit ante quam in hostes incurrisset.

Iug. 3, 3 qui *se* ante *fatigando* spurium indicavere, videant an satis auctoritatis in uno P¹ (nam s¹ testimonium nihili putandum, certe non plus ei tribuendum, quam transpositioni in g⁴ et g⁵) esse

putent. Nam Naz. cum *sese* exhibeat, tamen *se* suspectum non reddit et Hieronymi testimonio tum demum aliquid tribuendum videtur, cum eius codices diligenter explorati fuerint. Scilicet, num aliquid errore librarii an vere recteque omissum esse statuendum sit, cum etiam optumi libri et ne $P^1$ quidem talibus erroribus prorsus liberi sint, de ea re iudicium pendet ex dicendi consuetudine et loci cuiusque natura. *Fatigare* igitur ubi reflexive dictum esset, nemo adhuc ostendit, et si quod semel inveniatur propterea recte inprobari negaveris, tamen Sallustium non modo insolentius, set ad captum hominum parum perspicue scripsisse, infitiari non poteris. Non magis ergo hoc loco unius libri auctoritate *se* eiciundum videtur, quam 4, 5 *et* quia $P^3Bm^2$ soli omittunt. Contra eiusd. cap. 4 postquam *sum*, quod commode in recentiore primi generis familia conservatum est, in *sim* conruptum fuit, *et* contra sententiam inlatum esse, tam apertum est, ut vix de ea re disputandum videatur. Set paulo post *mei*, cum paucissumi eique malae notae libri in eo vocabulo varient, nullo modo expellundum videtur, cum praesertim vis quaedam insit, quippe ita Sallustius dicat se consilium summa animi voluntate captum mutavisse. Multo suspectius est pron. poss. 110, 3 *qua apud meum animum nihil carius est*, quoniam ibi in plerisque libris turbatum est, at ab sententia nihil obstat, quo minus optumum cod. 𝔅 sequamur; cfr. 14, 22 *animo meo carissume*. Contra 85, 27 *ex animi sententia* recte *mei* eiecisse mihi videor, quoniam in vetustissumis libris tantum non omnibus omissum est, quamquam in formulis censoriis (Cic. d. or. II 64, 260. Gell. N. A. IV 20, 3) et iurandi (Beier. ad Cic. d. off. III 29, 108) pronomen possessivum sollemniter additur. Scilicet facilius careri potest, cum praecedat *me*.

Iug. 5, 5 *Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit. Set inperi vitaeque eius finis idem fuit, set* ineptum est, neque quod ego olim quo defenderem excogitaveram, neque quod Kritzius nuper dixit praegnanti sensu *inperio* totum atque indivisum regnum Numidiae significari, probari potest. Narrat Sallustius nihil aliud, nisi Masinissam ad finem vitae usque inperium obtinuisse, i. e. nulla re eius inperium conlabefactum aut infestatum esse, tum ad filium pervenisse. Cur autem illud? Cur non simpliciter post mortem eius Micipsam filium regnum obtinuisse? Facile adparet, id eum factum censere quod semper Masinissa populo romano amicus fuisset. Qua re haec verba nullo modo praecedentibus obponi possunt; rectius per *et* adiungerentur, id quod Bojesenus conieeit; at veri similius est, parti-

culam ab glossatore, qui asyndeti rationem parum perspexisset, adiectam esse (cfr. var. scr. ad 14, 7).

Multam dubitandi ansam praebet principium orationis Iug. c. 10 [1]). Ac primum quidem in verbis *in regnum meum accepi* suspectum est *meum*, quia in 𝔓Pg²l post *regnum*, in relicuis ante positum est. Et cum apertum sit hoc dici: te regio cultu atque honore esse volui, pronomen possessivum recte omittetur. Nam Micipsa in alius regnum Iugurtham accipere non potuit. Ad quae adcedit, quod si *meum* adicitur, facile Micipsa in societatem regni quod suum esset Iugurtham adscivisse videri possit. Tum *liberis* quod in omnibus libris manu scriptis legitur, iure ac merito offensioni est. Nam si illud exprimere voluisse Micipsam statuamus: sperasse se Iugurtham sibi non minorem pietatem praestiturum esse, quam filium genitori, mirum est liberos, quos utrum geniturus esset annon incertum tum fuit, commemorari. Et recte ab aliis animadvorsum est, sic *ob benificia* etiam ad *liberis* pertinere videri. Set quid? num credibile est, cum planissuma sit sententia si *liberis* absit, ab glossatore adiectum esse? Optuma est sententia modo una littera conmutata *liberos* scribamus. Aptissume enim Micipsa ipso in principio eius orationis, qua Iugurtham ne post mortem suam fratribus hostis fiat dehortaturus est, illum admonet offici, quo ob benificia non solum sibi, set etiam liberis suis obstrictus sit, cum dicat se ea spe illum accepisse fore ut etiam liberos, quos geniturus esset, pariter ac se ipsum ob benificia amaret. Nec qui quam error semel commissus per omnis libros propagetur teneat, qui fieri potuerit ut *liberos* in *liberis* conmutaretur, quaeret. Sequuntur verba *neque ea res falsum me habuit*, in quibus paene miror neminem obfendisse. Quid enim? nonne exspectatur *ea spes?* Certe scriptorem neglegentiae crimine liberare non poteris, si cum *ea res* pro *id* dixisse statuas, quo ipso si usus esset minus adcurate scripsisset? Num igitur *res* ex *spes* conruptum videtur? Minume, set ita censeo: *ea* ab librariis adiectum esse, quos latuerit *rem*, i. e. vera eventa, obponi *spei* i. e. rebus speratis (cfr. Cat. 20, 13. 21, 1 ibiq. locos ab aliis conlectos) [2]). Set dixerit fortasse quispiam: si *liberos* scribatur, hanc sententiam non satis recte ad praecedentia adiunctam videri; nulla enim caritatis in

1) *Parvum ego, Iugurtha, te* cum Paris. et B alteri scripturae, quae in 𝔓 est, *te Iugurtha* praeferundum putavi, quod ita *te* firmius cum sequentibus coniungitur.

2) Quintiliani (Inst. or. IX 3, 12) codicum fide me non magis conmoveri quam Sallusti librorum, nemo credo mirabitur.

fratres documenta Iugurtham edidisse. Ex quo hoc quaero: nonne quod Iugurtha familiae gloriam auxerat Romanosque ei devinxerat, etiam liberis Iugurthae commodo atque summae utilitati futurum erat, ut pro illis id fecisse videretur? Deinde cum infra legatur *gloria invidiam vicisti*, nonne quaerimus quorum hominum invidiam? Absurdumne est conciliandae gratiae caussa dici fratres omnem invidiam propter Iugurthae gloriosa facinora deposuisse?

Iug. 11, 6 quod Hiempsal dicit *ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse*, prorsus repugnat supra dictis 9, 3 *Igitur rex ubi ea quae fama acceperat ex litteris inperatoris ita esse cognovit, cum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iugurtham benificiis vincere adgressus est statimque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit.* Cuius perversitatis qui culpam Sallustio, florentissumo rerum romanarum auctori, quam librariis inponere malit, neminem futurum confido. At quaeritur, quae medicina adhibenda sit. Linkerus igitur 9, 3 conrexit *tandemque eum adoptavit*. Set nonne omnis loci conexus talis est, ut quod statim fecerit Micipsa exspectemus potius, quam quod undecim annis post factum esse ex 11, 6 adparet (nam Iugurtha non post a. 132, quo P. Scipio Romae triumphavit, in Numidiam rediit, Micipsa autem cum a. 118 mortuus sit, adoptationem non ante a. 121 factam esse adparet). Quid autem? num adoptationem Iugurthae et testamentum eodem tempore facta esse necesse est? Neque particula *et* obstat, neque res ipsa. Quod si statuerimus adoptatum esse Iugurtham statim post reditum ab Numantia, set testamentum a. 121 demum scriptum esse, inter duos locos ita conveniet, ut priori nulla vis adhibeatur, modo ex posteriore *adoptatione* removeamus. Quod ab librario sciolo adscriptum esse minume incredibile ac ne mirum quidem videtur.

Iug. 12 praepositio *in* bis negotium facessit. Primum enim an in verbis §. 5 *qui postquam in aedis inrupere* praepositio recte scripta sit, eo magis dubitandum, quod P[1], cuius fides multis in rebus spectata est, eam omittit, et alias (25, 9. 58, 1) verbum ab Sall. cum acc. coniunctum est. Tamen uni illi codici non tantum tribuendum censeo, ut omnium relicuorum consensus nihili fiat, praesertim cum per clavis adulterinas aperta porta celeriter milites incurrere, nec vero aedis per vim sibi aperuere. Nec magis Iug. 32, 4 *in*, quod optumi libri tuentur, delendum censeo, quamvis ap. Sall. semper simplex acc. adiunctus sit, cum illius constructionis munita exempla apud omnes

scriptores inveniantur (cfr. Caecil. Stat. fr. 217 ed. Ribb. *tantan hinc invasit in tua corda dulcitas*, ubi metro *in* munitur), id quod non minus de *inrumpendi* verbo valet. — Difficilius est de altero loco diiudicare *occultans se in tugurio*, quoniam ibi vetustissumi atque optumi libri praepositionem omittunt. Non dubium autem videtur quin tugurium casula sit leviter aedificata (18, 5. 19, 5. 46, 5. 75, 4) [1]; nam domus Numidarum non aliter instructas fuisse, quam ut nunc sunt illas regiones incolentium, ita ut aula casas servorum contineret, veri simillumum est. Set quamvis de aedificio exiguo cogitandum sit, tamen omissio praepositionis defendi videtur exemplis Cic. d. inp. Gn. Pomp. 3, 7. Tusc. II 15, 36. Nihilo minus confiteor magis mihi placere *in tugurio*, quippe quo exprimatur Hiempsalem initio in illud aedificium confugisse, tum i n e o sese occultare studuisse.

Orationis ab Adherbale in senatu habitae c. 14 hi loci vel in suspicionem vocati vel suspecti sunt. Primum fuere, qui 3 *meorum* delendum censerent, sine idonea caussa, cum neque varietas scripturae, quae in paucis libris est, advorsus omnium optumorum consensum valeat, neque quamvis eo vocabulo recte careri possit, tamen per se inprobandum sit. Meliore iure infr. §. 9 *tuis* et 24, 3 *mei* propter 𝔅 auctoritatem spurium esse indicatum est. §. 4 cur *mihi* eiciatur neque in libris manu scriptis quidquam caussae est, neque in dicendi ratione, neque in sententia, imo aptissume repetit atque ecfert Adherbal suo iudicio suoque sensu ita esse. At primus ego in suspicionem vocare audeo §. 5 *amicitiam*, non quo ab usu loquendi (Cic. ad fam. XIII 17. III 9, 4. Liv. VII 31) aut ab sententia alienum existumem, set quia altera librorum optumorum familia post *instituit* exhibet. Neque infitias quisquam ibit, oppositionem quae est inter gentem Masinissae et relicuos reges, gravius ecferri, si ad alterum membrum ex praecedentibus non *amicitiam* solum, set etiam *societatem* mente repetatur. §. 6 verba *me nepotem Masinissae* habere quod graviter offendat nemo facile negabit, set cum omnes libri ea teneant, cumque insolens verborum ordo eiusdemque notionis repetitio et definitio non modo concitatae mentis sint, set adeo perspicuitatem adiuvent (nam *Quorum progeniem* longius ab verbo remotum est), huic argumento, facile ea verba ex §. 2 ab librario adscribi potuisse, haut ita multum tribuendum videtur.

1) Non dissimiles sunt cellae ostiariorum vel ianitorum apud Romanos; cfr. Becker Gall. I p. 76. Caecil. fr. 83: *habitabat in tugurio sine operculo.*

Set ne longus sim, eos locos, in quibus aliquod vocabulum glossema esse et librorum scripturis et sententia evincitur, breviter indicabo: 15, 2 *senatus*. 24, 10 *ex* (quamquam 82, 3 *ex manibus* legitur, set simili modo Cat. 46, 2 *periculis*, at 48, 4 *e periculo;* cfr. Cat. 48, 1 *ex servitute erepta*). 45, 5 *ea*. 48, 2 *passuum*. 54, 1 *iam*. 79, 2 *nos*. 85, 11 *sibi*. 93, 8 *ei*. 97, 2 *eius*. Nec magis vero fuse disputandum censeo de locis, ubi vocabulum, quod et libris satis munitum neque ab sententia alienum est, retinendum putavi, velut: Iug. 22, 2 *se*. 25, 4 *usi* (nam casu id in libro, unde multi exscripti sunt, excidisse facile adparet).

Iug. 17, 6 postquam terrae Africae natura descripta est, sic pergitur: *Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere: nam morbus haut saepe quemquam superat. Ad hoc malifici generis pluruma animalia*. In quibus verba *ad hoc — animalia* Grutero tam male praegressis adiuncta esse visa sunt, ut ab grammatico, qui quod Sallustius bestias conmemorasset, quantam copiam Africa malifici generis bestiarum haberet conmonefactus esset, adsuta esse iudicaret atque adeo, cum in Naz. post ea duodecim fere litterae erasae essent, nomen auctoris, a quo illud acceptum esset, adscriptum fuisse suspicaretur. Frontonem si novisset, fortasse eo quod apud eum illa verba omissa sunt, ad confirmandam suam sententiam usus esset. Ea argumenta nihil valere cum perspexisset Linkerus, set tamen ratione conexionis offenderetur, verba *nam morbus — ad hoc* potius uncis additis seclusit. De quo eo diligentius quaerundum est, quod omnes libri manu scripti Sallusti illa verba tenent ad eosque adcessit Frontonis testimonium, quamquam verba adfert quo ostendat agri naturam non praetereundam esse, tamen satis grave et certum. Iam ut ab extremo incipiam, si verba *malifici generis pluruma animalia* sine ullo vinculo praecedentibus adiungerentur, Sallustius ne sensisse quidem censendus esset, quam parum ordo rerum naturae conveniret, quae postularet ut primum de terrae natura diceretur, tum ad bestias, denique ad homines quasi adscenderetur. Haec se, antea oblitum, nunc non praetereunda putare, certe aliquo signo indicare debebat, quale quin *ad hoc* sit, qui usum eius noverit (cfr. Cat. 14, 3. 17, 4. 21, 4. 30, 6. 31, 8. 37, 10. 44, 6. 53, 3. Iug. 6, 1. 31, 28. 49, 4. 67, 1. 111, 2) non dubitabit. Eo addito neglegentia grata fit. Set praegressa verba Linkerus, credo, eam ob caussam Sallustio indigna esse arbitratus est, quod supervacanea, quippe ex antea dictis per se conleguuda putaret.

Quod mihi quidem secus videtur. Nam profecto duri et asperi iudicis est; scriptori nihil, quod quo minus acutorum hominum inbecillitatem adiuvet adiungat, ignoscere. Et num prorsus supervacanea sunt illa verba? Nonne etiam, qui acriori ingenio et peritior esset, si illa abessent, in eum errorem induci potuit, ut nullos esse in Africa morbos putaret? Nolim igitur vituperari scriptorem, qui cum dixisset plerosque homines senectute dissolvi, nisi qui violenta morte ante extremam aetatem abrepti essent, adiungendum censuerit, morbos quidem in Africa esse, set adeo firma incolarum corpora, ut rari eis frangerentur.

Difficile est de Iug. 24, 2 indicare: *non mea culpa saepe ad vos oratum mitto.* Nam *ad* salva sententia et omitti et adici posse nemo negabit. Omitti iubet 𝔅, adici omnes reliqui libri. Set cum obiectum ad supinum relatum rarum sit (Krüger. gr. lat. §. 483 ann. 1 p. 635), cumque *vos* magis eeferatur si per praepositionem ad *mitto* referatur, quam si ipsum ab *oratum* pendeat — efferundum autem est, quoniam se excusat Adherbal, quod saepe *senatui* negotia facessat — omissionem sive errori sive conrigendi studio eius, qui 𝔅 auctor fuit, tribuendum censeo.

Iug. 31, 14 *metum ab scelere suo ad ignaviam vostram transtulere; quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit*, verba *eadem metuere* ex glossemate nata esse adparet, primum quia singularis praedicati *coëgit* subiecta tamquam in unam notionem coalescere ostendit, id quod fieri non potest, si tria illa retineantur; deinde quod cupiditas et odium metum conplectuntur — nam metuimus ne quae cupiamus non eveniant, quae oderimus accidant; tum quoniam pervorsum est eosdem qui modo omni metu se liberasse dicti sint, tamen metu in unum globum coactos esse dici. Atque ut concedamus metum inter homines societatis vinculum quoddam esse, tamen ubi societas iungitur iam non metus adest, set prohibendi ac defendundi studium. Qua re recte Cat. 20, 4 *nam idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est.*

Quam multa glossemata in textum Sallusti inlata sint, ostendunt loci Iug. 31, 17 ubi *montem*, et 32, 5 ubi *praetor*, pro quo alii perperam P. R. exhibent, optumorum librorum cousensu reiciuntur. Set admirabilius quod 35, 1 liber omnium vetustissumus P solus *profugus ex patria abierat*, reliqui omnes *ex Africa abierat* praebent. Quorum utrum glossema tibi videtur esse? Mea quidem sententia hic locus documento est, quam facile glossemata vera scriptura remota per omnes libros propagata sint. Contra in notissumo illo Iugurthae dicto

eiusd. cap. 10, quamvis interiectionem saepissume ab librariis prave inlatam esse constaret, tamen eam ex $P^1G\mu$ recipiundam duxi, cum et relicuorum scriptorum testimonia eam munirent, et gravitas quaedam ad sententiam adcederet.

Iug. 38, 2 multi exstiterunt qui verba *ita delicta occultiora fore* defenderent, rati eis caussam adferri, qua Iugurtha Aulum Albinum permovisset, uti se in abditas regiones sequeretur. Iam quamquam per se intellegitur A. Albini non minus quam Iugurthae interfuisse ne delicta patefierent atque evolgarentur, tamen neque illud dici necessarium fuit — spes pactionis i. e. pecuniae capiundae (37, 3) satis movebat Aulum, ut caecus periculi sui oblivisceretur neque aliis incitamentis egeret — et obscuriora sunt verba, quoniam quibus occultiora futura fuerint quaeritur. Et qui sperari potuit, quod inspectante exercitu fieret, etiamsi in abditis regionibus, occultum fore, Romae nihil aut incerta cognitum iri? Rem autem conficit, quod scriptura optumis testimoniis tradita *fuere* est. Quam si teneas, non multo acumine opus est, ut ea verba glossematis speciem prae se ferre intellegas.

Iug. 40, 3 *Set plebes incredibile memoratu est quam intenta fuerit quantaque vi rogationem iusserit* quin Kritzius verba volgo addita *decreverit voluerit* iure ac merito deleverit, nemo dubitabit, cum nunc constet vetustissumos et optumos libros manu scriptos ea non habere, et facile adpareat librarios verbum sibi minus cognitum (cfr. tamen Iug. 73, 7. 84, 1. 85, 11) inlustrandum atque explicandum putasse.

Set mira quadam sorte accidit, ut qui multa aliis viris doctis suspecta defenderim, ipse alia adversus relicuorum editorum nostrae aetatis sententiam in suspicionem vocem, id quod testimonio erit, me non caeca qualam pertinacia, set libero iudicio codicum scripturas defendere. Iug. igitur 41, 1 omnes scripsere *Ceterum mos partium popularium et senatus factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est.* At cum vetustissumi libri $PP^1$ al. *senatores* exhibeant, in quod quo modo *senatus* conrumpi potuerit non intellegitur, in relicuis autem libris inter *senatorum* et *senatus* variatum sit, cum *senatus* in Naz. deesse Gruterus testetur, cum denique in m et $m^2$ *popularium* et *senatus* al. ma. supra lineam scripta sint, *senatus* certe iure suspectum esse nemo, qui artis criticae peritus sit, negabit. Quod si removetur, *popularium* relinqui adeo membrorum aequabilitas vetat. Set num ea vocabula recte omitti possunt? Igitur *partes* de populi partibus (Iug. 43, 1) dictum ab Sallusti con-

suetudine non alienum esse intellegitur ex Iug. 40, 2 et 3 et 73, 4 nec quidquam obstat quo minus 42, 5 de eisdem solis cogitetur. *Factionem* autem semper dici ad obtinendam in re publica initam societatem, ergo per se de optumatibus intellegi, cum ex Cic. d. Rep. III 14, 23 constat, tum usus Sall. docet (cfr. Cat. 34, 2. Iug. 31, 1 et 4. Fr. III 59, 3 et 8, neque dissimile est Iug. 29, 2; certe M. Scauri factio fuit nobilitas). Quae cum ita sint, nonne adparet illa duo vocabula *popularium* et *senatus* librariis potius accepta referunda esse quam scriptori. Ceterum eiusd. cap. 10 iam in var. lect. significavi, quoniam *permixtione* vetustissumi et optumi libri tenent, et in *oriri* variatur, verba *et dissensio civilis* et *oriri* mihi ex glossemate nata videri, quippe quo *moveri civitas* explicatum fuisset: non quo recte omnia dicta esse negarem, set civitatem tam vehementer permotam esse, quam in permixtione terrae fieri consentaneum sit, non minus recte dici videbatur.

Iug. 49, 1 *suorum* ab libris non admodum suspectum esse facile concedo, at id vocabulum non modo superfluum, set paene absurdum esse contendo. Quorum enim aciem extenuare potuit, nisi suorum? Talia dicere non est scriptorum paulo elegantiorum et quisquilias fugientium. Cum igitur aliquid suspicionis codicum scripturis moveatur, tollendum illud arbitror. Nec minus 50, 3 *peditum*, quod necessarium esse nemo contendet, removendum censeo, quoniam in recentiori optumorum librorum familia, quamvis in eo saepe ordo verborum mutatus sit, tamen eo loco positum est, quo ferri nequit: *montem occupat peditum*. De 53, 7 cap. V dicam.

Iug. 54, 5 paene miror ab recentioribus editoribus praeter Kritzium *in acie* intactum relictum esse. Quamquam enim qui libri omittunt *in*, non tanta fide sunt, uti casu omissam esse praepositionem negandum videatur, tamen quin recte eiecta sit, dubitari vix potest. Nam aequabilitas membrorum tollitur ea addita — variare orationem amavit Sall. set in dissimili re —, neque ullum exemplum reperitur, ubi cum de modo pugnandi sermo sit, *in* adiunctum legatur (cfr. Iug. 97, 4 *non acie neque ullo more proeli*) et ne ratio quidem ut ea adiungatur concedit, quoniam *in acie pugnat* is, qui acie instructa pugnat, non qui acie instruenda bellum gerit. Idem discrimen intercedit inter *iure vindicare* et *in iure vindicare* (Cic. d. or. I 10, 41. Piderit zur Kritik u. Exegese v. Cic. d. or. Hanau 1858 p. 15).

Iug. 58, 4 sic editur: *Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem hostilem a tergo accepit.* Set ea scriptura paucorum

ac recentiorum librorum est, vetustissumi et optumi *clamorem vel tumultum hostilem* exhibent, unde in proxumis *cl. et tumultum*, in sequentibus aliis aliud factum est. *hostilem* solus $M^2$ sup. lin., pro eo *hostium* unus T. Igitur alterum utrum *clamorem* aut *tumultum* glossema esse certum. Plerique *tumultum* iudicavere, credo quod per *vel* alteri adiunctum esset. At multi inveniuntur loci, in quibus glossema ante vocabulum ab scriptore scriptum inlatum sit. Et utrum veri similius est explicatum esse, *clamorem* an *tumultum?* Linkerus autem *hostilem* in suspicionem vocavit; quibus de caussis ego equidem non perspicio. Nam neque libri quidquam suspicionis movent et, ut abesse posse negandum non est, sic recte adiectum facile intellegitur. Profecto enim maius periculum fuit, si Metellus non solum tumultum a tergo accepit, set eum hostilem, i. e. ab pugna cum hostibus ortum esse persensit (cfr. ind. s. v.).

Iug. 61, 4 ad hoc tempus volgatum est *et inde vadibus datis clam Massivae de nece iudicium fugerat.* Ac *de Massivae nece*, quem ad modum ego olim et nuper Gerlachius edidimus, cum optumorum librorum scriptura sit, quin in textum recipiundum sit, eo minus dubitari potest, quod Sallustius numquam praepositionem inter genetivum et substantivum posuit, nisi in membris relativis (Iug. 4, 2. 28, 4. 30, 3. Fr. I 10), id quod etiam Iug. 14, 1 *in locum* ex glossemate natum ac veram esse 𝔓 scripturam *loco* praeter alia argumenta planum facit. Iam quod in nonnullis atque adeo vetustis codicibus *de* aut loco suo motum aut omissum est, ad eam suspicionem adducit, glossema in verba scriptoris inlatum eius expellendi caussam praebuisse, et cum *clam* in optumis libris vel desit vel supra scriptum sit, quid apertius quam id ex loco 45, 9 a glossatore huc translatum esse? Nisi forte necessario exprimundum fuisse credis, eum qui iudicium fugisset, id clam fecisse.

Difficilluma verba sunt Iug. 69 extr. Ponamus primum recte scribi, quod $P^1$ prima manu cum paucioribus libris exhibet quodque volgo editum est, *nam is civis ex Latio erat;* duo tum quaerenda sunt, qui recte dicatur *civis ex Latio* et quo modo ea res ad inlustranda vel confirmanda praegressa pertineant. *Civis* igitur *ex Latio* ubi dictus aliquis esset, nemo ne ullum quidem veterum scriptorum locum ostendit, at pauci unum recte dici posset dubitavere. Ac Niebuhrius quidem H. Rom. II 75 Sallustium, teste Gellio X 20, 10 proprietatum in verbis retinentissumum, eam locutionem obsoletam ex prisca antiquitate repetivisse censuit. Quod credo vir ille inmortalis memoriae non

dixisset, nisi ad confirmandam suam de antiqua Latinorum conditione pertinere arbitratus esset. Nam pervorsum fuit, si Sallustius, quem Gellius cod. l. consuetudini non cedere non potuisse monuit, de iure dicens pro eis vocabulis, quibus illa aetate publice Romani utebantur, obsoleta, quae nemo tum intellecturus esset, revocavisset. Quod si quis quo minus diligenter in talibus vorsatum eum esse ostendat, nos ad locum Iug. 40, 2 remiserit, ubi *per homines nominis latini ac socios Italicos* usui sollemni repugnare ostendit Momms. H. R. ed. II. I p. 400 n. 2, nihil efficiet, quoniam quamvis a consuetudine abhorreant, tamen rei ac veritati ea verba conveniunt [1]; set hominem nominis latini, quamquam certis conditionibus — illa aetate iam artius circumscriptis — civitatem Romanam nancisci poterat (Marquardt Ant. Rom. III 1 p. 38 sqq. Mommus. l. c. I p. 776), tamen si quis *civem ex Lat*io adpellasset, omnes uno consensu reclamassent, Latinos peregrinos non civis esse. *Civis ex Lat*io nemo dici potest, nisi qui civitate romana retenta in Latio habitat (ut *G. Servilius civis romanus ex conventu Panormitano* est ap. Cic. in Verr. V 54, 140), aut qui cum antea nominis latini fuisset (Latio oriundus) civitatem romanam adeptus est. Quo modo si verba accipiuntur, convenit inter Sallustium et Appianum qui p. 253 Bekk. Turpilium *ἄνδρα Ῥωμαῖον* dixit, et Plutarchum, secundum quem (Mar. c. 8) *ἦν ἐκ πατέρων ξένος τῷ Μετέλλῳ*. At altera quaestio oritur, quo verba illa pertineant. Iam constat lege Porcia sanctum fuisse ne in morte condemnatos verberibus prius animadvorteretur (cfr. Cat. 51, 22. Liv. X 9. Cic. in Verr. V 63, 162. pr. Rab. 4, 12. de Rep. II 31, 53. Drum. V p. 95. Göttling. Gesch. d. Röm. Staatsverf. p. 427. Pauly. R.-Enc. IV p. 992 sq.). Quam legem quamquam extra urbem nonnunquam neglectam esse scimus (Pauly. R.-E. VI p. 2467), tamen si Turpilius civis Romanus fuit, verba illa, de quibus agimus, prorsus pervorsa sunt, neque ullo modo defendi possunt, nisi ut antea excidisse nonnulla statuamus, quibus Sall. improbandum fuisse illud subplici genus dixisset. Neque neglegendum est, utique mirum esse, cur Sallustius *civis ex Lat*io dicere, quam simpliciter civem Turpilium fuisse conmemorare maluerit. Set ne levius in re tanta pervestiganda vorsemur, num probari ea verba possint, si Turpilium Latii iuris fuisse statuamus, sive id emendando *non civis set ex Lat*io, sive alio modo effici volumus, quaerendum videtur. Pro-

1) Si aliqua suspicionis caussa ab codicibus praeberetur, *Italicos* ex glossemate natum arbitrarer, eo minus dubitanter, quod ipse Sall. 42, 1 recte *per socios ac nomen Latinum scripsit*.

fecto tum haec verba recte adiecta esse adpareret, quo explicaretur, cur Turp. ante verberatus esset. Tamen res dubia est. Nam cum Plutarchus G. Gracch. c. 9 memoriae hoc prodiderit: *ἔτι δὲ ὁ μὲν* (*Γ. Γραχχ.*) *τοῖς Λατίνοις ἰσοψηφίαν διδοὺς ἐλύπει, τοῦ δὲ ὅπως μηδὲ ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινα Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι γράψαντος ἐβοήθουν τῷ νόμῳ*, nisi lex illa aut non perlata aut mox abolita fuerit (Göttling. l. c. p. 427 sq. Pauly. R.-E. IV p. 992 sq.), ita illum verberatum esse explicari non potest. Et cum etiam post legem Porciam in castris verberibus in civis Romanos animadvorsum esse constet, nullum aliud discrimen fuit, nisi quod fortasse saepius Latini verberati sunt; quod qui ita removere studuerunt, ut *verberatus* hoc loco de fustigatione intellegendum esse statuerent (Iacobs. Cless Interpr. Germ. p. 158), cuius in socios usus fuisset, ut in civis vitibus animadvorsum, apertissume, quod nemo Romanus in eo verbo invenisset, inesse statuerunt, Sallustioque obscuritatis et pervorsitatis crimen inposuerunt. Set fatendum est, si verbis illis Turpilium nominis Latini fuisse significetur, omnia planiora ac veri similiora esse. At *civis ex Latio* id significare non potest, et ne ea quidem satis testata scriptura est. Nam vetustissumi omues in *civis ex collatio* consentiunt; at antiquissumum fuisse *civis collatio* ex P (ubi *ex* supra scriptum est) et P[1], ubi *ex latio* in *collatio* conrectum est, adparet. Quod quo ducit? Scilicet veram scripturam esse *nam is civis, non ex Latio erat*. Quae cum ita sint, si librorum testimoniis aliquid tribuendum, ante ea verba aliquid excidisse statuendum erit. At num ea verba Sallusti sunt? Minume. Nam credibile non est eum, qui 67, 3 Turpilium *inprobum intestabilemque* dixisset, genus subplici vituperasse, certum videtur eum Metellum potius excusaturum quam reprehensurum fuisse; tum *is* habet quod glossema sapiat; denique pro *erat* certe scripsisset S. *fuit*. Qua re mea quidem sententia verba illa reliquiae sunt longioris glossae marginalis, qua aliquis, doctrinae copiam suam effundens, monuerit, non debuisse Turpilium necari verberarique; nam eum non latinum set civem fuisse.

Iug. 71, 4 *et* quod summo consensu optumi libri tuentur, non recte a plerisque per glossatorem adiectum putatum est. Quid enim? Nonne Sallustio rem sic narrare licebat: Qui postquam litteras adlatas audivit eamque ob caussam (i. e. *et*), quod opera aut ingenio suo opus esse arbitrabatur, neque arcessitus neque aditu dato tabernaculum introiit, epistulam facile repperit? Contra quod in plerisque libris paulo post legitur *et rem omnem uti acta erat ex perfugis cognovit* vitio-

sum esse facile perspicitur. Nam primum quod P[1] *ex servis* superscr. *vel ex perfugis*, g[2] *ex scurris*, h *ex servis perfugis*, alii pauci *ex profugis* exhibent, ea re ad illam suspicionem adducimur, ut librarios narrationem expleudo magis perspicuam reddere voluisse credamus. Deinde qui tandem illi perfugae fuerint? Dignumne fuit diligenti scriptore rerum perfugas Romanos commemorare, cum antea praesidium eorum secum habuisse Nabdalsam non significasset? Tum si *ex servis* vera fuit scriptura, quo tandem modo id in *perfugis* conrumpi potuit? Denique quid res postulat? Nonne omnia Nabdalsam coniectando suspicari potuisse manufestum est? Quis introierit tabernaculum, fortasse a praesidibus vel servis percoutatus est, aut negotiorum suorum curatorem subito discessisse ab eis, qui in vicinia erant, conperit, set relicua omnia nisi coniectura adsequi non potuit; quare requirimus, quod significet: eum perspexisse quod factum erat ita, ut vere factum erat, ut verbo *cognovit* nihil addendum fuisse adpareat. Ceterum veri non dissimile est *ex perfugis*, cum 73, 1 scriptum esset in pagina advorsa, fortasse ad marginem subpletum, ab librariis ad huuc nostrum locum translatum esse.

Iug. 72, 2 *civis hostisque iuxta metuere* Linkerus *que* iniuria videtur suspectum habuisse. Neque enim quod particula praeter Commelinianum in tribus eisque non optumae notae libris manu scriptis omissa est, satis idoneum est ad eam damnaudam argumentum, neque ipsa ab consuetudine Sall. aliena (cfr. Cat. 2, 8. 61, 6. Iug. 67, 2. 85, 47. 88, 1), neque denique ea addita huius loci natura vitiatur [1]). At paulo post *experrectus*, quoniam Diomed. p. 376 K. ob id ipsum vocabulum hunc locum conmemoravit, pro eo quod libri exhibent *excitus* vel *excitatus* necessario restituendum; quod autem in P scriptum est *exercitus*, non ex *excitus* errore factum videtur, set cum archetypi scriptura obscurata esset, male scriptum conruptelae caussam praebuisse.

Quam licenter Sallusti oratio glossematis conrupta sit, testimonio est locus Iug. 76, 3. Primum enim libri manu scripti vel *deinde iubet locis*, vel *deinde duobus locis*, vel *deinde iubet duobus locis* exhibent. At *iubet* ferri non potest, non quo infinitivus activi advorsus usum dicendi pugnet (vid. quos in priore editione laudavi), set quia omnis loci natura ut de rebus factis non iussis dicatur postulat. Illud quidem dubitari potest, utrum *iubet* ab librariis infinitivos histo-

1) *Que* in plerisque libris adiectum est 75, 4, ubi cum P et P[1] cum nonnullis aliis codicibus omittant, non dubitavi omittere.

ricos non concoquentibus adiectum, an ex *duobus* conruptum sit. Nam per se nihil obstat, quo minus Metellum, postquam moenia vallo fossaque circumvenit, duobus non pluribus simul locis murum adgressum esse statuamus. Set enm quae infra leguntur *murum arietibus feriri* satis perspicue ostendant multis undique locis Romanos murum subruero conatos esse, veri simillumum videtur, *duobus* ex *iubet* ab eis factum esse, qui id verbum contra consuetudinem dicendi et rei naturam dictum intellexissent. At tum in omnibus libris sequuntur haece: *vineas superque eas aggerem iacere*, in quibus *superque eas* male inlatum esse omnes nostrae aetatis editores arbitrati sunt praeter Herzogium, qui cum *super* locale ineptum esse intellexisset, pro *praeter* dictum putavit, conl. Tac. ab exc. d. A. III 63 *consules super eas civitates quas memoravi, aput Pergamum Aesculapii conpertum asylum retulerunt*, id quod probari nequit, quoniam is usus praepositionis *super* posteriorum tantum scriptorum et poëtarum videtur fuisse, apud Sall. certe nullum exemplum est, multoque magis quod eo addito narratio languida ae putida fieret. Tum *et* eum in P[1] optumo libro desit et oratio tripartita optume huius loci colori conveniat, omittendum erit. Quod si conprobaveris quin *aggerem*, quod Linkerus uncis inclusit, retinendum sit minus dubitabis, praesertim cum neque in sententia neque in libris quidquam sit, quod suspectum reddat.

Cum tam saepe Linkero oblocutus sim, ut paene verear, ne studio quodam eius sententias inpugnare videar, gaudeo quod mihi cum eo convenit Iug. 77, 2 *Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam miserant amicitiam societatemque rogatum* vocabulum *Iugurthini* ex glossa fluxisse. Quamquam enim in libris manu scriptis non tanta varietas est, ut glossematis suspicio magno opere confirmetur, tamen quod bellum intellegundum sit, ita perspicue reliquis significatum est, ut id glossatore potius quam scriptore superflua et putida fugiente dignum sit.

Iug. 79, 1 *eam rem nos locus admonuit* Cortio adsentior *nos* eiciundum esse, non quo recte dictum esse negem, set quia varietas scripturae luculenter ex margine aut interlineari spatio in verba scriptoris inrepsisse ostendit. De *eam rem* nunc cfr. Müller Philol. IX p. 621 n. 16.

Iug. 85, 10 *hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendi* sane suspectum est *ac*, quoniam $\mathfrak{B}g^2$ omittunt, $P^2P^3B$ *aut* exhibent. At asyndeton ferri vix potest, quoniam prioribus duobus tertium contrarium *et nullius stipendi* adiungitur. Ac facile aliquis in eam opinionem adducatur, ut *veteris prosapiae* glossema

arbitretur, ad inlustrandum *multarum imaginum* adscriptum. Set tamen *multarum imaginum* novi aliquid adiungit, quod ad definiundum id quod latius pateat, pertineat, in quo genere copulativas particulas et *atque* vel *ac* potissumum usurpari ostendi olim ad Cat. 2, 9. 3, 4. Iug. 107, 2. Eiusd. cap. §. 11 scripsi: *ita plerumque evenit uti quem vos inperatorem iussistis, is inperatorem alium quaerat*, quamvis 𝔅 multique libri manu scripti *is sibi inperatorem* exhiberent. Primum enim relicuis vetustis libris glossematis suspicio movetur; tum per se perspicuum est, quo modo verba sint intellegunda, quippe cum praecedat *sumat aliquem ex populo monitorem offici sui;* denique augetur vis et gravitas sententiae, cum Marius dicit eum, quem inperatorem populus iusserit, alium quaerere, qui vere illi inperator sit. Paulo post 12, cum 𝔅 cum nonnullis optumis alterius generis libris consentiat cumque gravior sit oratio, si illi non solum acta maiorum, set etiam Graecorum praecepta legere dicantur, probo quod Linkerus recepit *et acta maiorum.* At nulla caussa est, cur infra 23 *eorum* adversus summum optumorum librorum consensum eiciamus. Contra 29 𝔅 verum servasse cum ratio ostendit — quippe adverso pectore cominus pugnans volnera excipit, set adverso corpore volnerari potest aliquis etiam eminus — tum quod in P et P[1] illud super *corpore* pro var. lect. scriptum est. Porro 30, cum libri vetustissumi alii *quae egomet plurumis laboribus et periculis quaesivi*, alii *ego meis plurumis*, pauci *egomet meis plurumis* exhibeant, hoc probandum puto. Neque enim absurdum est dicere Marium se nobilitatem non solum ipsum, set etiam summa suarum virium contentione ac periculo quaesivisse, et veri similius est alterum propter similitudinem litterarum excidisse, quam librarios orationem subpleudam arbitratos esse. — Quamvis autem verendum sit ne multis nimis suspiciosus videar, tamen libere quae de eiusdem orationis §. 41 sentiam exponam. Ubi postquam Marius acerbe invectus est in nobilitatem ita: *Quin ergo quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant: ament potent, ubi adulescentiam habuere ibi senectutem agant,* haec adiciuntur: *in conviviis, dediti ventri et turpissumae parti corporis.* Scripturae paene nulla est varietas; nihili enim est, quod 𝔅 et P[1] frequenti vitio *convivis* exhibent, nec libris p[6]r$\gamma$, qui *et* omittunt, adversum relicuorum omnium consensum quidquam tribuendum. Iam per se adparet extrema verba praegressis *ament potent* ita respondere ut chiasmus admissus sit, *ventrem* ad potationes, *turpissumam partem corporis* ad amores spectare. Quod si ita est, *in conviviis* parum placet. Nam,

ratio postulat, cum quae ad duas res spectent sequantur, ut etiam duo praecedant. Dixerit fortasse quispiam: *convivia* utrumque conplecti; esse talia, ad quae scorta adhibeantur, in quibus et ventris cupiditatibus et lubidinibus amoris indulgeatur; at id probari nequit, quoniam ita tecte et artificiose loqui minume ingeni Sallustiani est, et ipse scriptor Cat. 7, 4 plene ac distincte dixit *magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant.* Quod si obposueris infra *epulas* solas conmemorari *(quibus. illa epulis iocundiora sunt)*, aliud est praegressum omittere, aliud id quod alteri adposito respondeat neglegere. Quid igitur? utrum aliquid excidisse statuamus, an *in conviviis* glossema esse? Hoc mihi quidem veri simulius videtur. In eis quae sequuntur *pulverem* om. 𝔅T, sup. lin. m. Alterum ex glossemate ortum esse vel inde adparet, quod Sall. *et alia talia* nunquam nisi uno non pluribus praecedentibus dixit (Iug. 40, 2. 44, 5. 62, 2. 64, 3. 81, 2. 85, 10. add. 32, 1)[1], id quod eo magis tenendum, quia consuetudo Romanorum sic postulat. At utrum glossema est? Facile intellegi puto *sudorem* ad *pulverem* explicandi caussa adscriptum esse. Quem ad modum hoc loco auctoritate 𝔅 aliquid male adiectum esse statuimus, sic cur ex eodem infra *omnibus* ante *flagitiis* receperimus omnes perspecturos confido. Quem ad modum autem supra propter leges sermonis latini *sudorem* eiciundum censui, sic eaedem me permovent, ut 45 *Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, inperitiam atque superbiam* cum libris recentioribus primi generis *atque* contra ceterorum consensum removendum arbitrer. Neque enim recte dixeris posteriora duo in unum coniuncta primo ἀσυνδέτως adiungi (vid. quae olim ad Iug. p. 120 disputavi), neque tertium prae ceteris eeferundum fuisse (= et adeo, et etiam). Paulo post §. 47 cum vetustissumi et optumi libri exhibeant *Egomet in proelio aut in agmine consultor idem et socius — vobiscum adero*, iniuria *aut* ab editoribus praeter Gerlachium pro additamento librarii habitum est, neque ego ipse recte de hoc loco olim iudicavi. Nam cum duplex sit genus periculorum, quae in proeliis accidant et quae in itineribus, nec cum agmine incedunt milites proelio simul decertant, recte hae notiones per *aut* disiun-

1) Scilicet ubi duo praecedunt, haut raro *ceterus* et *alius* per copulativam particulam adiunguntur, Cat. 10, 4. 13, 2. 32, 2. 52, 30. 39, 2. Iug. 1, 3. 3, 2. 30, 1. 64, 1. Set quod ubicumque libri viam monstrabant id conrexi, velut 86, 1, non vereor ne in peritorum vituperationem incurram.

guntur (cfr. Iug. 53, 3 *collis aut noctis auxilio integri abeunt*. Hand. Turs. I p. 541).

Iug. 89, 5 de regione, quae est inter Capsam et relicuam Numidiam, haec leguntur: *alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus, quarum vis sicuti omnium ferarum inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa pernitiosa siti magis quam alia re adcenditur.* Scripturae varietate, quae in libris iuvenitur, unum vocabulum *ipsa* suspectum fit, tamen haec verba ab Sallustio sic non scripta esse recte indicavit Linkerus, quamquam longius mihi progressus videtur esse cum omnia haec *inopia cibi* — *pernitiosa* eiciunda censuit. Nam quod ap. Serv. ad Verg. Ge. III 434 ex hoc loco referuntur *quod genus siti magis quam alia re adcenditur*, inde, quoniam grammaticus verbis ad inlustrandum *asperque siti* utitur, atque omnino non de scripto, set de memoria ea relata esse adparet, certe non ecficitur, illa *inopia cibi acrior* ab Sallustio scripta non esse. Num vero ratio obstat, quo minus utrumque ab eo conmemoratum esse credamus? Quid aliud voluit, quam ostendere naturam eius regionis plurumum ad exasperandas serpentis conferre? Cum igitur praecedat et *vasta inculta*, qua re inopiam cibi fuisse intellegitur, et *egentia aquae*, cur Sallustius ibi omnia quae ad adcendendam vim serpentium pertinerent fuisse coniuncta, et inopiam cibi et sitim, dicere non potuerit non capio. Quid ergo displicet hoc loco? Scilicet quod quamvis praecedat *vis*, tamen sequitur *natura serpentium ipsa pernitiosa.* Quae verba si removeris — quippe *ipsa* ab libris suspectum est neque librarium vocabulum *vis* explicare voluisse ab specie veri abhorret — nonne relicua omnia plana sunt? Dixeris fortasse: nimis multa verba esse, quam quae Sall. brevitatis studio conveniant. Audio: at ex eis, quae tradita sunt, de scriptoris ingenio iudicare, non ex ea opinione, quam de hoc inbiberimus, de illis decernere debemus. — Eiusd. cap. §. 8 *illis*, quo careri posse nemo negaverit, ab librariis additum esse intellegitur ex $P^1$ et $P^4$.

Iug. 91, 1 Linkerus verba *maxuma vis utrium effecta* uncis additis spuria sibi videri indicavit, quae sententia quibus argumentis confirmetur, non video. Nam primum, quod in $P^3B$ solis *effecta utrium* legitur ad suspicionem confirmandam parum valet, tum quamvis concedam hominem acutum per se intellegere quam magna vis utrium effecta fuerit, tamen cur absurdum sit, si Sall. id quod cura Mari effectum fuerit copiose narret, praesertim cum id gravissumi ad relicuam difficultatem superandam momenti fuerit, non perspicio; denique

Sall. *ibi* aut novum membrum incipere semper voluit (Cat. 11, 6. 32, 1. Iug. 11, 5. 49, 6. 68, 3. 76, 6. 81, 1. 101, 6. 108, 1. Fr. II 48. inc. 15) aut postposuit, neque hoc loco eodem modo dictum esse potest quo Iug. 58, 3 *sin* — *ibi vero*. Eiusd. cap. autem pars extrema quanto opere Sallusti libri glossematis inquinati sint ostendit. Nam cum *coërcitum* explicatione egere librarii arbitrarentur, *ante* adiecere, quod cum in $P^1$ superscriptum, in recentiore familia omissum sit, glossema esse perspicuum est.

Iug. 92, 2 Kritzius etiamnum verba *modo verum etiam casu data*, quae in paucissumis libris, quosque eleganter interpolatos esse 21, 4 iam supra cognovimus, adiecta sunt, retinuit. De quibus ut recte iudicare possimus, primum quaerendum est quid sit *in virtutem trahere*. Cum *trahere ad aliquem* sit cum contentione aliquid alicui conparare, tribuere, conciliare studere (cfr. Liv. I 7, 1: *at hi numero avium regnum trahebant*. IX 28, 6 *captae decus Nolae ad consulem trahunt)*, *in virtutem trahere* nihil aliud significare potest, quam virtuti vindicare studere, virtuti alicuius tribuere, ostendere quam aliquid virtutis sit, ut similia sint *rem in superbiam vortere* Iug. 82, 3, *modestiam in conscientiam ducere* 85, 26, *in lubidinem vortere* 41, 5. Quae cum ita sint *casu data in virtutem trahebantur* minus proprie dici adparet; ad gloriam augendam pertinent, quem ad modum de Tiberio, qui apud patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam quin iactaret non temperavit, Tacitus ab exc. d. Aug. II 84: *nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Non bene consulta*, i. e. audacius et alacrius suscepta, quoniam singularis animi magnitudinis esse videntur, in virtutem trahuntur, sive inprudentia pro virtute habetur. Si talia forte conriguntur, gloriam pro culpa inveniunt, ut ipse Sall. 94, 7 dicit, set etiamsi fortuna non faverit, tamen virtuti tribuuntur ab volgo inperito. Quae ita intellegi nolim, quasi omnino *casu data in virtutem trahebantur* dici potuisse negem, unum illud adparere puto, tantum abesse, ut Sallustius zeugma admisisse putandus sit, cum ex eo, quod vere ad *casu data* solum referri posset, ad prius communis notio *gloriam augebant* intellegi voluerit, ut quod priori optume conveniret, etiam cum altero minus proprie iunxisse censendus sit. Tum scriptorem de *non bene consultis* tantum cogitasse extrema verba ostendunt: *credere illi aut mentem divinam esse aut deorum nutu cuncta portendi;* in quibus *portendi* esse futura indicari constans eius usus demonstrat (cfr. Cat. 47, 2. Iug. 3, 2. 63, 1); diligentissumus quippe est in talibus periodis ita conformandis, ut

postrema prorsus primis respondeat. Ad quae cum accedat quod pauci novissumae originis et ei interpolati libri illa verba soli exhibent et ne prorsus quidem inter se consentiunt, num dubium videtur, ea glossatoris esse? At quo modo quispiam adduci potuit, ut ea adscriberet? Scilicet, cum intellexisset de eis non bene consultis dici, quae prosperum tamen eventum habuissent, memorque esset infra de temeritate per fortem correcta dici, lecturos de ea re admoneri voluit.

Iug. 92, 7 non iniuria mihi videor verba *et aliis machinationibus* uncis seclusisse. Nam primum quae tandem praeter vineas, aggeres, turris aliae fuere machinae, quae ad moenia loci obpugnati admoverentur? Tum num credibile est ex *aliis* casu quodam factum esse id, quod in vetustissumis libris inventum est *altis*? nonne potius veri simile quoniam aggeres et turres ab vineis distinguuntur, librarium, quo id notaret, *altis machinationibus* adscripsisse?

Contra ab me inpetrare non potui, ut Iug. 94, 5 verba *Romanis hostibusque* cum Linkero aliisque viris doctis pro glossemate habenda censerem, non quo eis careri posse negarem, set quia si adiungerentur, perspicuitatem augere videbantur, praesertim cum *his*, *illis* sequeretur, nec quod in paucis *Romanis omnibus* inventum est, in aliis *que* omissum, in uno *romanis et hostibus* scriptum, satis ad suspicionem confirmandam valere arbitrabar.

Non dissimilis huic loco est Iug. 97, 5 ubi omnes libri — nam exiguae discrepantiae vix conmemorandae sunt — ab Sallustio scriptum testantur: *denique Romani veteres novique et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbis fecere* (haec vetustissumorum librorum scriptura cur reiciunda sit non video) *atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.* In quibus *veteres novique et ob ea scientes belli* ferri non posse omnes (cfr. Selling. lect. p. 32 sq.) praeter Gerlachium intellexere. Igitur plerique ut ego ipse olim Kritzio auctore *novique*, quippe ex 87, 3 huc translatum, ab librariis adiectum censuerunt. Set quamvis librariis multorum et admirabilium vitiorum culpa merito inponatur, tamen ne nimis creduli itaque iniusti in eos simus cavendum est. Ac vereor, ne eis eum eos locum planissumum addito *novique* conrupisse insimulemus, aut firmiorem memoriam, quippe quibus cum *veteres* legissent, statim loci 87, 3 in mentem venerit, aut nimium mutandi pruritum tribuamus. Nam si de re accuratius quaesiverimus utrum veri similius videtur, paucos veteranos, quos forte casus aut locus coniunxisset — nam novorum militum in Mari exercitu numerum

magnum fuisse ex 86, 4 intellegitur — hostibus restitisse, an omnes Romanos, ubicumque potuissent, orbibus factis vim illorum sustentasse? Et num Sallustio indignum fuit, cum eximium fortitudinis et peritiae documentum conmemoraret, admonere lectores, quam brevi tempore novi veteresque milites coaluissent (87, 3), quam celeriter omnis exercitus Mari prudentia ad eam rei militaris scientiam adductus fuisset, ut quid in rebus dubiis atque asperis faciundum esset, nemo dubitaret? Quae cum ita sint, hoc quaero, utrum *novique*, quod rectissume adici potuit, an *et ob ea scientes belli*, quae verba eo quo posita sunt loco prorsus inepta, magis speciem glossematis prae se ferant.

Iug. 99, 1 admirabile est, quod vetustissumi atque optumi libri paene omnes *erumpere iubet* exhibent. Quod quamquam magna in suspicione est, — nam elegantis scriptoris certe non est idem verbum in duobus enuntiatis se excipientibus ponere —, tamen num defendi possit quaerendum est. Primum igitur infinitivi *signa canere*, *clamorem tollere*, *portis erumpere*, quo minus ab *iubet* praegresso pendere putentur, *deinde* particula obstat, ex qua nemini perspicuum esse non potest infinitivos historicos esse. Nihil ita vituperandum videtur; set utique mirum, si quod milites fecerint narretur nulla ducis conmemoratione, cum tamen id quoque ab illo tam prudenter tamque apte institutum esse adpareat; praesertim cum principium capitis *Plurumum vero Marius inperitia hostium confirmatus*, faciat ut exspectemus de omnibus, quae advorsus hostes ab eo instituta sint, dictum iri. Contra id quod iussisset dux, ab militibus recte et ordine factum esse, ex ipso eventu facillume intellegebatur. Quae cum ita sint, cumque eiusdem vocabuli repetitio minume ab scriptorum consuetudine aliena (Drakenb. ad Liv. I 3, 9, cfr. Iug. 85, 38) neque ab Sallusti ingenio abhorreat, quippe qui saepe duo enuntiata ab eadem particula ordiri non fugerit (Cat. 25, 4. 26, 2. 52, 16 et 17. 56, 3 et 4. Iug. 31, 22 et 23. ib. 28 et 29 al.), iudicium continendum arbitror. — Eiusd. cap. §. 3 ab plerisque editur: *Ita cunctos strepitu clamore, nullo subvenicnte nostris instantibus, tumultu terrore formido quasi vecordia ceperat.* At ita in solo M² scriptum. Vetustissumi et eidem optumi libri *tumultu formidine terrore*, qui eis proxumi sunt *tumultu terrore formidine* exhibent. Unde quid sequitur, nisi ut alterutrum *terrore* aut *formidine* glossema iudicandum sit? Atqui veri similius est ad *formidine*, quippe quod hoc loco extremum per omnem exercitum diffusum metum significet (cfr. Iug. 53, 7: *alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere)*, *terrore* adscriptum, quam hoc per illud explicatum esse.

Quid igitur, cum legimus *tumultu formidine quasi vecordia ceperat,* nonne omnia plana sunt? Servata est aequabilitas membrorum, quae cum duo paria praecesserint, tertium quoque ut duobus constet postulat; et quamquam ipsa formido vecordiae similis esse potest (Iug. 72, 2: *formidine quasi vecordia exagitari*), tamen quid obstat, quo minus per formidinem vecordia quaedam animis iniecta esse dicatur?

Iug. 100, 4. *praeterea alios super vallum in munimentis locare* verba *in munimentis* non modo superflua set etiam parum convenientia esse facile intellegitur. Nam tertium genus excubiarum per *super vallum* satis ab relicuis duobus distinctum est et ita verba coniuncta sunt, quasi munimenta vallo inposita fuerint. Cum autem in recentiore primi generis familia multisque aliis codicibus *in munimentis* ante *super vallum* conlocatum sit, nonne ea res satis arguit, illud ad *super vallum*, quod iusolentius dictum esse videbatur (cfr. tamen 76, 3), ab librariis adscriptum esse? — Paulo post 5 volgo editur *quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars quod a pueritia consuetam duritiam et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset,* quae recte dicta esse nemo negabit. At mirum profecto est quod codices vetustissumi duo PP[1] *habuisse* exhibent, deinde quod paene omnes primi generis *pars* omittunt. Cum autem *pars* nullo modo omitti possit, nonne veri simile est, id vocabulum per aliud superscriptum loco suo motum esse? Et si *quod* eiciamus et *habuisse* recipiamus, nonne omnia recte procedunt? Neque enim quod subiectum infinitivi *habuisse* omissum est, cum de quo dicatur dubium non sit (cfr. 83, 1), offensioni est, neque quod quae in caussa fuisse dici potuere, ab illis ita putata esse dicta sunt.

Iug. 102, 10 ubi Sulla ad Bocchum haec dicit: *multa atque oportuna habes, quo facilius errata officiis superes,* particula copulativa *atque* quamquam codicis 𝔅 auctoritate munita est, tamen relicuorum optumorum librorum testimoniis suspecta fit. Ad sententiam non ita magni interesse, utrum Bocchus dicatur multas oportunitates habere, an multas res easque oportunas habere, manufestum est. Nec desunt loci in quibus grammatici consuetum genus dicendi restituere conati sint.

Iug. 103, 4 verba *in itinere* nullam aliam ob caussam secludenda arbitratus sum, quam quod in multis libris alio loco conlocata sunt ac facile eis careri potest.

Novam recensionem exhibui principii cap. 104, auctoritate eorum librorum, qui inter recentiores optumi sunt. Primum cum mtσ *ubi*

exhiberent et veri similius mihi videretur librarios illud hoc loco non localem significationem habere monere voluisse, quam pro *postquam* restitutum esse *ubi*, optumos libros sequendos putavi. Deinde *infecto* cum plerisque et optumis libris retinendum putavi. Cum enim aliunde quid vere factum fuerit cognitum non habeamus, libri sequendi erunt, nisi quod exhibeant falsum esse demonstratum fuerit. Atqui si Marius infecto negotio ab obsidione turris regiae, quam susceperat, redire coactus fuerit, facilius intellegitur, quibus caussis motus sit, ut bellum pactione — quae quam ardua fuerit, vid. Momms. II. R. II p. 147 — quam vi conficere mallet. Tum nemo mirabitur, quod eum verborum ordinem nunc exhibui, qui ab optumis libris commendatus esset, set maxume admirabuntur homines docti, quod pro *quo*, quod adverbium loci esse studiose Obss. p. 24 sq. demonstravi — qua in re Kritzius mihi adsensus est — tamen quod illic recte dici negavi *quod* restituendum existumavi. Scilicet mihi persuadebam quem ad modum *consilium, fallaciam, iter intendere* recte dicatur, sic *intendere negotium* non esse quidem: suscipere, consilium capere, set advorsus hostis summo studio et contentione agitare ('die Unternehmung, die er gegen den Feind gerichtet hatte'). Tametsi ei qui *quo* scribundum existumet, ne nunc quidem vehementer repugnabo. Postea cur *et — certior factus est*, id quod in plerisque et optumis libris est, ferri non queat, prorsus non intellego. Denique eorundem optumorum codicum — quatenus id de recentioribus libris dici licet, — haec est scriptura: *eosque et Sullam* (de *que — et* cfr. Iug. 26, 1. 55, 1. 76, 6. 89, 7. Fabri ad Liv. XXI 30, 2) *ad Uticam venire iubet, item L. Bellienum praetorem, praeterea omnis undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit. Utica* quod in nonnullis libris post *praetorem* legitur, glossema esse, ex discrepantia quae inter eos ipsos est satis adparet. Set quod pro *ad Uticam* legitur *ab Tucca* plerisque et mihi ipsi olim quod reciperetur dignum visum est, eoque magis, quod sic facillume intellegi posset, quo modo inde *ab Utica*, quod in plerisque legitur, factum esset. At primum mirum profecto est, si Sallustius, qui ipse pro praetore Africam obtinuerit, cum tres atque adeo quattuor essent loci nomine Tuccae (vid. Cless Interpr. Germ. p. 186), ergo errare lectorem non modo facile set necessarium esset, quem locum diceret, adcuratius ostendere noluerit. Tum num incredibile est Marium hiberna ad Uticam habuisse? Clamabunt certe, ex 102, 1 adparere eum Cirtae sedem conlocasse. Audio: set nihil aliud ibi Sallustius dicit nisi eum, cum exercitum in hiberna ducere vellet, primum

Cirtam petisse, oppidum firmissume munitum. Atque idem postea 103, 1 narrat tum exercitum in hibernaculis conpositum esse, qui 100, 1 Marium in oppidis maritumis hiberna agere decrevisse tradidit. Num igitur Cirta oppidum maritumum fuit? Quamquam Sallustius supra 21, 2 *haut longe a mari prope Cirtam oppidum* scripsit, tamen non vereor, ne quis eum qui locus ab mari quadraginta milibus abesset (Strabo 832 Cas. p. 1160 Mein. *ἐν μεσογαίᾳ*, Pomp. Mel. I 6. de h. Afr. 25, Liv. XXX 12. Cfr. Cless l. c. p. 122) in oppidis maritumis habuisse arguat. Set Utica in provincia romana sita erat. Num inauditum est exercitum in provincia proxuma pacata hiemem transegisse? Et nonne Mari, cum exercitus reficiundus et multa bello utilia paranda essent, plurimi interfuit, ut in vicinia portus oportunissumi et frequentissumi esset. Quod si quis dixerit, qui pro praetore provinciam obtineret, Uticae sedem habuisse itaque ab Mario L. Bellienum ad Uticam vocatum esse veri dissimile esse, nonne qui provinciae praeerat, ei conventus agundi multaque itinera faciunda erant, ut rectius eum nullo in oppido sedem fixam habuisse contendi possit? Postremo *ad* praepositio quo modo dicta sit, non est, quod exponam. Ceterum quod ante *legatis* §. 2 legitur *in quibus* vel *in quis* turpe dehonestamentum orationis esse, ut gaudeamus quod tres libri eo careant, quemvis intellegere arbitror.

Iug. 105, 2 *peditum* glossema esse tam manufestum est, ut iure mireris ab admodum paucis eiectum esse. Nam nonne cohors Paeligna peditum fuit? Set illud dubium est, utrum cum Linkero *atque*, an *item*, quorum alterum utrum ferri nequit, eiciundum sit. Ad rem parum interest, set ego quoniam in permultis libris *item* omissum est nec mirum si librarii, coniungenda vocabula arbitrati, *item*, quod Sallustio consuetum esse tenerent, addiderint, pressius librorum vestigia secutus mihi videor. Paulo post verba *quod ea levia sunt*, quamquam aliunde cognitum non habemus levia fuisse illorum populorum tela, neque quae multis proeliis evenere id confirmant, tamen removenda non censuissem, nisi quae in libris manu scriptis sunt discrepantiae et maxume quod in p² praefixum est *causa*, suspicionem non movissent, set confirmassent.

Iug. 106, 3 Linkerus praeter *dicitque*, de quo supra p. 63 disserui, etiam *pavens* uncis inclusit. Libri nullam caussam suspicionis praebent; nam nihili est, quod solus M² *incerto pavens vultu* exhibet. Num igitur sententia ut eiciatur postulat? Minume. Nam *pavere* cum de metu tanto dicatur, qui pallorem et tremorem efficiat (Döderl, Syn. II

p. 203), gradationem quandam adhibitam esse ab Sallustio recte Kritzius monuit. Minus aegre verbis *incerto voltu* careri posset; nam is incerti consili, non terroris atque formidinis est. — Paulo post §. 4 ex libris restitui *ignisque quam creberrumos fieri*. Duo enim fieri iussit Sulla, ut milites coena sumpta ex castris ne discederent, utque, quo hostibus numerus vero amplior videretur, ignes quam plurumi incenderentur et alerentur. — Set 5 ut *eos* omittatur non tantum valet unius 1 testimonium, eoque minus, quod eredibile est glossatorem non insolentius *cos* set quod ratio poscere videretur *se* restituturum fuisse. Tum coniuncta Mauros et Romanos castra habuisse veri simile non est, et *ante se* utique ambigui aliquid haberet. Ceterum cfr. quae olim ad Iug. 96, 2 p. 545 contuli, quibus add. Müller Philol. IX p. 597.

Iug. 108, 1 haec leguntur: *praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere inpar, nam pater eius ex concubina ortus erat.* Quamquam neque de Dabare neque de patre eius Massugrada quidquam eompertum habemus — Appianus p. 224 Bekk. Magdalsen, Bocchi amicum, ei negotio interfuisse memorat — tamen non dubium est, quin Massugrada unus fuerit ex Masinissae spuriis filiis, quos multos ab eo susceptos esse App. p. 228 memoriae prodidit (cfr. Cless l. c. p. 99). Ita si res fuit, Dabar vere non materno genere inpar fuit, set ab avia paterna; minus ergo diligenter Sallustium scripsisse adparet. At plerique libri exhibent *mater — orta erat*, id quod recte dici secundum omnia quae cognita habemus veri simile non est. Et variant libri inter *nata* et *orta*. Num igitur credibile videtur, librarios quae scripta invenissent, ut eum *materno genere inpar* convenirent, arbitrio suo mutasse? Mihi ea discrepantia satis argumenti videtur, ut librarios variis modis rem explicare voluisse existumemus; doctiores patrem ex concubina natum fuisse adscripsisse, indoctos de matre autumasse. Quae autem res fuerit, utique in incerto relinquendum est. Quid enim obstat, quo minus Massugradam filium Gulussae vel Mastanabalis ante patrem mortuum fuisse eique ex concubina Dabarem genitum statuamus? Cum Masinissa senex nonagenarius mortem obierit (App. l. c.), filium eius quinquaginta annorum aetate ante eum decessisse, eoque genitum filium Massugradam rursus ante avum relicto ex concubina filio Dabare occubuisse minume ab omni specie veri abhorret.

Iug. 109, 3: *tum rex, uti praeceptum fuerat post diem decumum redire iubet; ac nihil etiamtum decrevisse, set illo die responsurum.* Linkero, qui *ac* delendum censuit, hoc concedendum est, ubi

oratio obliqua ab verbo ex praegresso cogitando pendeat, particulai copulativam non addi. Neque ratio, cur Sall. ab eo constanti usu h. discedere voluerit, ulla idonea reperitur. Librorum denique in ha parte exigua fides est.

In oratione Bocchi c. 110 *pretium* glossema esse, quamquam ade optumos libros veluti 𝔅 inquinavit, ex varietate scripturae non minu: quam ex sententiae obscuritate — nam quam Bojesenus auctore Madvigi iniit explicandi rationem: 'fuerit hoc ipsum, quod aliquando ope ii digui, pretium, quo amicitiam tuam emerim, qua carius nihil habeo contorti aliquid habere vix quemquam negaturum esse credo — certui est (vid. praeterea quae infra de loco Iug. 3, 1 disputabuntur). Infr 3 cum $P^3Bg^3\gamma$ *tibi* omittant, $s^2$ post *redditam* habeat, cumque in apert sit cur librarii id adiciundum putaverint, glossema id esse iudico, al que adeo videtur mihi illo deleto vis quaedam maior in sententia in esse. Tum 6 volgo edebatur *bellum ego populo Romano neque fec neque factum umquam volui; finis meos advorsum armatos arm tutatus sum.* Ibi 𝔅 *adfinis meos* exhibet, quod probavit Linkeru: Set sive de finitumis adcolis regni Mauretaniae, sive de necessitudin quadam coniunctis id vocabulum intelleges, ea sententia cum praece deute non congruit. Nam qui ipse nulla iniuria lacessitus vel finitumi vel necessariis suis auxilium fert, bellum ei, advorsum quem illos tuta tur, facit. Nihil aliud Bocchus, ut bellum ab se advorsus Romano susceptum excuset, dicere potest, nisi quod iam 102, 12 commemoratur est, se finis suos contra Mari incursiones defendisse. Atque id prae cedentibus cum gravitate quadam obponundum fuit, quoniam sese ar mis cum Romanis pugnasse negare neque volebat neque poterat. Erg *at finis*, quod libri, qui secundum 𝔅 optumi sunt, exhibent recte d ctum esse adparet, et cum ad illos 𝔅 adcedere videatur — facili enii errore *ad* pro *at* scriptum esse manufestum est — quod relicui omil tunt non tanti faciundum est, praesertim cum librarios asyndetorui restituendorum non minus studiosos, quam particularum adiciundarui fuisse constet. Postremo si 7 *id* cum libris, quamvis non optumi: tamen satis multis omittatur, eadem de h. l. valebunt, quae supra p. 7 de 14, 5 monita sunt.

Iug. 112, 2 non video cur *proficiscitur*, quod plerique libri tuer tur, ei, quod minus testatum est, *venit* posthabeatur. Set id levius est gravius mendum admissum esse videtur infra 3, ubi vetustissumi ( optumi libri exhibent *ibique sibi Sullam traderet; cum talem virui in potestatem habuisset tum fore uti iussu senatus aut populi foedu*

*fieret.* *Romani* quod permulti recentiores libri post *populi* scriptum exhibent, eo vocabulo facile caremus, cum ex omni loco quibuscum pax aut foedus faciundum sit eluceat. Set *senatus aut populi* nullo modo ferri potest, quibus verbis hoc diceretur: Iugurtham sperasse si Sullam captum haberet, fore ut ab senatu si non a populo, ab hoc si minus ab illo foedus inpetraret. Nam quamquam interdum factum est, ut populus contra senatus auctoritatem bellum fieri iuberet, nullum tamen extat exemplum, quo populum sine patrum auctoritate pacem decrevisse doceatur, atque adeo si id factum esset, tamen senatus aut tacitus aut consulto facto auctor fiebat. Quid igitur? num *atque*, pro quo interdum *aut* errore scriptum est quodque hoc loco pauci libri praebent, adprobabimus? Cui non illud quidem obponendum videtur, quod Sallustius nusquam in ea formula particula *atque* usus est (*et* Iug. 104, 4. 111, 1 et 9, 2, ubi nonnulli veteres codices *que* praebent; *que* Iug. 21, 4 ubi pauci codd. *que* omittunt, pauci pro eo *et* exhibent. Cat. 34, 1 *senatum populi romani*, — quae formula adeo inscriptionibus testata est, cfr. Cenot. Pis. ap. Or. nr. 642 — scribendum esse cum librorum conmendatio ostendit, tum rerum ratio, in quibus populo nullus locus datur), quoniam nihil obstat, quo minus Sallustium hanc ob caussam ab consuetudine discessisse statuamus, quod exprimere vellet, praeter senatum etiam ab populo foedus ratum habitum iri. Set gravioris momenti est, quod *iussu senatus* dici non licet ac nullo prorsus modo ubi *populus* adiunctus est, quoniam *iubere* et *iussu* tum sollemnia sunt de eis quae ab senatu aut ab magistratibus promulgata populus suffragiis suis rata habet (cfr. Iug. 40, 3. 73, 7. 84, 1. 85, 11. Cat. 29, 3). Ad quae adcedit, quod ubicumque *aut*, *vel*, similia in libris alieno loco inveniuntur, suspicio est vel variae lectionis vel explicationis in textum receptae. Iam *iussu* munitissumum est, *senatus* cum eo non conveuit, ergo videndum, num *iussu populi* eiectis *senatus aut* vel *atque* recte dicatur. Cum igitur tum demum firmum foedus fuerit, si ad senatus auctoritatem populi scitum adcessisset, advorsum populi voluntatem vero senatus nihil valuerit, cumque Iugurtha certe conpertum habuerit saepe foedus ab senatu datum populi iussu subvorsum esse, vituperandusne est Sallustius, si regem Numidiae, cum de foedere non frustra pangendo ageretur, solum hoc conmemorantem fecerit: si talem virum in potestate habuisset, fore ut populi iussu foedus fieret?

Iug. 113, 2 Linkerus tacite in verbis *illi pariter laeti ac spei bonae pleni esse* particulam *ac* delevit. At omnes libri boni eam

tuentur neque insolens eius usus est, ubi praegresso quo illud explicetur adiungitur (vid. Cat. 2, 9. 3, 5. Iug. 14, 15. 107, 2. Madv. ad Cic. de fin. I 10, 34 p. 75). Multo rectius suspectum habebitur *bonae*, quod in cod. vetustissimo P superscriptum, in $P^1m^1t$ ante *spei* conlocatum est. Aegre id vix quisquam desiderabit, neque a specie veri abhorret librarios vim vocabuli *spei* augendam arbitratos esse. Set tamen haec non tanti sunt, ut adiectivum eiciundum videatur, non magis quam Iug. 42, 2. — Paulo post 3 *ceteris*, quamquam in vetustissumis tantum non omnibus legitur, suspectum esse non nego, fortasse tamen ita defendere poterimus, ut Sall. primum *amicorum* notionem, deinde omnium qui adessent, i. e. ceterorum, remotionem urguere voluisse statuamus. Set multo gravioribus dubitationibus obnoxia sunt, quae sequuntur: *dicitur secum ipse multum* [1]) *agitavisse, voltu corporis pariter atque animo varius.* Sic plerique atque optumi libri; at *voltu corporis* dici nequit, et ratio explicandi, quam ab Kritzio propositam olim ipse probavi — genetivum nullam aliam ob caussam adiunctum esse, nisi ut genus, cuius esset voltus, maiore gravitate animo obponeretur; cfr. Naegelsb. Theor. d. lat. St. p. 274 sq. — ea in philosophica disputatione potius quam in simplici narratione locum habet. Set iam antiquis temporibus aliam huius loci fuisse scripturam intellegitur inde, quod Serv. ad Verg. A. VII 251 ex hoc loco adfert *voltu et oculis,* quae eadem verba, quamquam Sall. nominatus non est, leguntur apud Hieronymum Comm. in Ezech. lib. III T. V p. 85 ed. Vall. Et cum recentiores libri praebeant *vultu colore motu corporis,* nonne apertum est glossis hunc locum inquinatum esse? Quid igitur statuendum videtur? Utrum glossatorem philosophico quodam pruritu ad *voltu* adscripsisse *corporis*, an Sallustium scripsisse *corpore*, quod cum ex glossis *voltu* inlatum esset, non potuit non in genetivum conmutari? Quod si reputaveris tecum, constare iam antiquis temporibus glossas in hunc locum inlatas fuisse, *animo* nihil melius potuisse obponi quam *corpore*, at nihil eo ipso magis inlustrandi librariis ansam praebuisse, postremo quam diligens scriptor in membris exaequandis fuerit, profecto me non audacius ac temere, set iustis de caussis scri-

1) Hanc optumorum librorum scripturam ei, quod ceteri praebent, *multa* praeferundam existumavi. Etenim quid agitaverit Bocchus certum est; nulla alia optio ei iam data fuit nisi utrum Sullam Iugurthae an Iugurtham Sullae traderet; haec, non multa, agitavit; at recte dicitur *multum*, in quo inest aut rei saepius factae aut maioris modi significatio (cfr. Cat. 27, 4. 60, 4. Iug. 1, 5. 19, 1. 94, 3. 108, 1).

pluram volgo receptam inmutavisse intelleges. Nec magis vereor ne in temeritatis crimen incurram, quod quae sequuntur *quae scilicet tacente ipso occulta pectoris patefecisse* solus in dubitationem vocaverim. Nam primum *quae* minus recte ad praecedentia refertur, et quod olim contendi, pluralem non ad voltus tantum varietates, set etiam ad amicorum adhibitiones atque remotiones spectare, id eo quod verba *tacente ipso* adiuncta sunt, prorsus refutatur. Set largiamur Sallustium, quoniam in *corpore varius* iusit notio pluralis, varios gestus atque habitus corporis ostendens, *quae* recte dixisse, largiamur *scilicet* recte apud elegantem scriptorem cum acc. et inf. coniunctum esse, quamquam exemplum eius constructionis Iug. 102, 9 iam optumorum librorum auctoritate ac fide remotum et Fr. I 47, 5 eo nomine ab h. l. divorsum est, quod ibi membrum est non pendens set liberum: nonne quae est in libris discrepantia, ac maxume interpositum in optumis *ita* suspicionem movent? Scilicet duplicem adparet fuisse scripturam: *quae scilicet tacente — patefecisse* et *scilicet ita tacente — patefecisse:* quae discrepantia nonne glossema haec verba fuisse arguit? Denique num eius, qui ingeniosis et eruditis hominibus scribat, est, ut quae lectores ipsi intellecturi sint, ea fuse ac copiose doceat?

Iug. 114, 2 *illique* ferri non posse, nisi qui contorta Sallustio quam plana tribuere malit, nemo non concedet. Kritzius *ibique*, Linkerus *scilicet* scripsit, quae propterea probari non possunt, quoniam vitium orationis remanet, *inde* non praegresso *iam* dictum (vid. Klotz ad Sintenis p. 105 et 152). Rationem emendandi ostendit, quod in libro ceterum non optumae notae scriptum est *illineque*. Scilicet scripserat Sall. *illimque*, de qua forma vid. Ritschl Mus. Rhen. VIII 472; Lachm. ad Lucr. II 169. III 880; Corssen Zeitschr. f. d. vergl. Sprachw. V 120 sq. Id per *inde* explicatum et cum lineola super i adpicta, qua *m* notare solebant librarii, deleta esset, factum esse *illique et inde usque ad*, profecto mirum non est. — In ipsa clausula belli Iugurthini non dubitavi ex P[1] recipere *et ea tempestate*, quod aliorum librorum scriptura *ex ea* confirmare videbatur. Constat autem *et* particula adiungi id, quod ad relicua confirmanda pertineat ('und in der That, und wirklich'); cfr. Naegelsb. l. c. p. 538. Quod si quis obposuerit, tum *et* plerumque verbum sequi, id hoc loco propterea non factum esse manufestum est, quod *ea tempestate* ecferendum erat.

---

Cap. V.

## De emendationibus.

Nihil dicam de eis locis, in quibus vel codicum scripturam veram vel rectam emendandi rationem ab aliis ostentam esse ab omnibus viris doctis intellectum est, velut de Cat. 1, 7, ubi nemo nunc Palmerii *veget* amplexus tenet; de eis tantum disputabo, de quibus vehementius etiamnum dubitatur vel aliam quam relicui viam sequendam puto.

Nobilissuma sententia est Cat. 2, 9 *verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.* Ablativum *aliquo negotio* non posse cum *intentus* coniungi, nisi ut hoc absolute dictum esset et ablativo res qua ut aliquis intentus esset efficeretur exprimeretur, omnes censuere (cfr. Roth. ad Tac. Agric. 12 p. 161. Peter ad Cic. Or. 2, 5 p. 98). Recte id dicitur de ea re, qua animus tenetur, velut Iug. 44, 3 *Metellus — expectatione eventus civium animos intentos putabat*, h. l. aptum non est, quoniam ea res est fama praeclari facinoris aut artis bonae, non aliquod negotium. Neque metaphora ab arcu sumpta h. l. convenit, quia cum arcum intentum tenemus, data copia scopum tangere parati sumus, h. l. autem *intentus* non adparatum, set modum ac rationem quaerendi significare manufestum est. Quae cum intellexissent, alii *aliquo* ex *aliquoi* conruptum esse statuerunt, quorum sententiam conprobavit Gerlachius ed. noviss. p. XVI. At Arusianus p. 243 L. iam ab veteribus ablativum lectum esse testatur et *alicui negotio* non modo superfluum est, set adeo sententiam obscuram facit. Quid igitur? Ablativus coniungendus est cum *quaerit*. Ut *nullo negotio* (Cic. ad Att. X 16, 3: *Siciliam tenere nullo negotio potuit)*, *magno negotio* (Cels. VII 5: *tela, quae — haeserunt, magno negotio saepe eiciuntur)*, *tanto negotio* (Cic. ad fam. II 10, 3: *oppugnabam oppidum — tantis opibus tanto negotio)*, sic *aliquo negotio* dicitur pro: non sine aliquo labore. Neque supervacaneum est, quod sequitur *intentus* (absolute dictum; vid. Ind. s. v.), quia *aliquo negotio* ad industriam, virium contentionem, *intentus* ad animi curam et diligentiam pertinere adparet. Ad sententiam autem aptissumum est. Quae enim fama eum consequetur, qui sine labore ac cura laudem quaerat? Ac talem scriptoris sententiam

fuisse inde elucet, quod statim quam arduum sit res gestas scribere, quantum laboris et intentionis id requirat, exponere incipit.

Multis dubitationibus obuoxium est Cat. c. 3 extremum. Ac de ultimis quidem verbis supra p. 15 disputatum est, set non nihil difficultatis est etiam in eis, quae praecedunt. Primum enim quaeritur quo modo verba *tamen inter tanta vitia inbecilla aetas ambitione conrupta tenebatur* intellegunda sint. Quae plerique sic videntur accepisse, ut *conrupta* pro nominativo singularis haberent et *inter tanta vitia* instar esse enuntiati secundarii: quamvis tanta vitia essent, putarent, ut ergo sententia esset: tamen cum vitia tanta essent, aetas inbecilla ambitione conrupta erat eaque capta tenebatur. Set quid aliud scriptor agit, nisi ut quo modo factum sit ut in malam famam incurrerit, ostendat? Quod cum agat, quid aliud facere potest, quam ut se excuset quod non prius aetatem a re publica procul habuerit, cum tam multa ei advorsa fuissent, tanta vitia in re publica vigere intellexisset? Nonne igitur apertum est *inter tanta vitia* artissume cum *tenebatur* coniungeuda esse, eodem modo quo dicitur *intra claustra teneri, Corcyrae teneor, exercitum in stativis tenere? Inter tanta vitia* autem dictum esse pro: in re publica tantis vitiis inquinata ac polluta, non magis mirum est, quam quod *aetas (mea) inbecilla* dictum est pro: ego iuvenis inbecillus (Naegelsb. Theor. p. 46). Iam non minus apertum *ambitionem* esse id, quod eum tenuerit, et *conrupta* si pro nominativo habeatur, *aetatem* tantam esse dici quod ambitione conrupta fuerit. Quod quale est? An translate dictum pro: in pravum abstracta ('bestochen, verführt'). At id dici non oportuit, quoniam per se intellegitur, qui ambitione inter tanta vitia teneatur, ea obcaecatum esse, et ambigue dictum est, quia qui ambitione conruptus est, male agere semper putatur. Quid vero obstat quo minus *conrupta* pro ablativo habeamus, ut ipsa ambitio conrupta dicatur? *Conruptus* fere pro adiectivo ab Sallustio habitum esse ostendit, quod Fr. I 47, 7 *homines conruptissumi* scripsit (Naegelsb. l. c. p. 190), aptum autem esse ad eius sententiam, quod infra 4, 2 *ambitio mala* dixit; denique non verendum fuit, ne ambigua videretur oratio, quoniam apud Romanas id aetatis locutiones *misera* (Cic. off. I 25, 87), *prava*, *pervorsa ambitio* pervolgatae erant. Dixerit iam quispiam, bis confirmari, quae olim ad defendendum *cum ab reliquis malis moribus dissentirem* protuli, non potuisse Sall. *ab reliquorum* scribere, quoniam ab uno certe vitio, ambitione, non liber fuisset. Quae acutius quam verius disputata sunt. Nam ambitionem in vitiis habet Sallustius, quamquam 11, 1 id vitium

propius virtutem esse dicit, nec vero in malis moribus, tum *conrupta* non tam inhonesta, quam prava ac pervorsa ambitio est; deuique *reliquorum* necessario postulat, quod sequitur *quae ceteros*. Qua re non est, quod optumorum codicum scripturam reiciamus.

Cat. 6, 2 volgo edebatur: *Hi* (Troiani et Aborigines) *postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua; alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coalucrint*, ego ut libros pauciores secutus *alii alio more viventes* scriberem hac caussa adductus sum, quod apertum est non de multis hominibus, inter quos summa sit morum divorsitas ac varietas, dici, set de duabus gentibus, inter quas morum fuit divorsitas, quem ad modum generis et linguae. *Alius* autem cum saepe de altero dicatur (Caes. B. G. I 1, 1. Cic. acc. IV 12, 29), nec minus saepe *alius alium* simil. de duobus, ubi divorsitatis notio premenda est, velut ap. ipsum Sall. Cat. 54, 1: *his* (Caesari et Catoni) — *fuere, magnitudo animi par, item gloria, set alia alii* (cfr. Liv. I 21, 6 et 25, 5 ibiq. Weissenborn) —, cur pluralis *alii* pro *alteri* dici non possit, non perspicio. Nec vero dubito quin, quae est in multis vel caeca codicum admiratio, vel obloquendi studium, exstituri sint, qui *alius alio* ita defendere conentur, ut Sallustium his homines utriusque gentis inter se conmixtos, quorum vicinus alium quam vicinus morem secutus sit, quasi depingere dicant, quibus ut contorta simplicibus, inepta aptis, recte cogitatis argute conmenta praeferant permitto.

Cat. 8, 4 postquam expositum est Atheniensium res gestas propterea pro maxumis celebrari, quod ibi scriptorum praeclara ingenia provenissent, haec sequuntur: *Ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere extollere praeclara ingenia*, in quibus verbis libri plerique et optumi consentiunt. Set quaeso nonne miraris tautologiam? Ad quid enim *eorum* — *ea* — *ea* referri possunt, nisi ad Atheniensis eorumque facta? Quid vero refert, eorum quorum facta quo maxumis celebrari dicta sint, virtutem tantam haberi dici, quantum scriptores extollere potuerint? quid necesse id ex praecedentibus conligi (cfr. 2, 8. 7, 6)? Scilicet Atheniensium rerum gestarum gloria eam ob caussam conmemoratur, ut exemplo confirmetur id quod positum est: fortunam res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrare atque obscurare. Hoc singulare exemplum iam ad omnes transferri particula *ita* luce clarius ostendit. Qua re *eorum* non ad Atheniensis spectat, set sequente membro relativo definitur. Quod si ita est, *ea* delendum et *fecere*

absolute dictum esse ut 3, 1 *qui fecere* et infra *facere quam dicere*, adparet, nec minus alterum *ea* mutandum esse in *eam*. Ceterum moneo, ne quis quod p³s¹l prius *ea* omittunt, *eam* Fg⁶ exhibent, his libris plus fidei quam relicuis tribuendum censeat; etenim coniectura saepe librarii verum iuvenere.

Cat. 10, 2 plerique libri exhibent: *qui labores pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere.* Ibi primum restituendum fuit *optanda*, cum ad ea argumenta, quae protulit Sellingius emm. Sall. p. 12, adcessisset codicis P fides; alterum quod idem v. d. postulavit *divitiaeque*, probare non potui, cum locus 36, 4 minume hoc loco idem genus coniunctionis adhibendum fuisse evincere videretur. Tum *alias*, quod olim Kritzius coniecerat ac sese probaturum si scriptum esset iu libris Wex progr. Suerini ed. 1833 p. 9 dixerat, ex codd. P et P¹, quibus adcedebat 𝔊 m. II, recepi. Sententiam ita multo aptiorem esse facile adparet, cum non Romani ab relicuis mortalibus separentur, set eis quoque otium atque divitiae optanda fuisse dicantur, si ferre potuissent, i. e. *alias*.

Cat. 11, 8 cum *ne* in vetustissumis et optumis libris scriptum sit, et quae in nonnullis aliis inventae sunt scripturae librarios vel pro eo *nedum* ponendum fuisse vel *ne* per hoc explicandum putavisse ostendant, tollendus est error, qui nostrorum grammaticorum libros et lexica occupavit, *nedum* testimoniis magis munitum esse, et hic locus addendus exemplis per viros doctos conlectis, Plaut. Amphitr. 330. Cic. acc. IV 23, 52. ad fam. IX 26, 2. Liv. III 52, 9. Set coniunctivus inperfecti *temperarent* mea quidem sententia ferri non potest. Neque enim de re, quae eum altera in idem tempus inciderit, neque de repetita vel saepius facta dicitur, set de eo quod ab militibus Sullanis, cum in Asia omnibus luxuriae et lubidinis generibus adsueti essent, perpetratum est; nihil aliud hoc membro continetur, nisi alio modo expressum, quod supra dictum est *nihil relicui victis fecere*. Quem ad modum ergo si illa verba ipsa repeterentur, *ne illi quidquam victis relicui fecerint* dicendum fuisse omnes concedent, sic facilluma mutatione scribendum existumavi *temperarint*. Ceterum qui quam saepe *e* et *i* in libris confusa sint teneat, nec quam diligentes veteres scriptores in legibus linguae observandis fuerint, aut ex librariorum levitate aut ex sua lubidine existumandum putet, merito me Cat. 34, 1 *respondet* cum Nipperdeio et Linkero scripsisse iudicabit, nec minus Cat. 41, 5 *praecipit*.

Multum virorum doctorum ingenia exercuere quae Cat. 13, 1 leguntur: *a privatis conpluribus subvorsos montis, maria constructa esse*. *Constructa* recte dici de aedificiis super mare constructis ego olim defendi adsensumque tuli Kritzii. Set optumorum librorum scriptura est *constrata*, quam, quamquam defendit Sellingius cm. p. 13, tamen propterea probare non possum, quod *consternere* ubique dicitur de rebus singulis dissipandis, quibus aliquid obtegitur, id quod in eos locos ipsos cadit, quibus Sellingius ad confirmandam sententiam suam usus est, Caes. B. G. VIII 14, 4 *pontibus palude constrata*. Liv. XXXV 49, 6 *consternit maria classibus suis*. Curt. IX 6, 7. 8, 5 [1]), ergo recte diceretur de aedificiis multis super mare exstructis, minus recte de molibus in eo aedificatis. At utrique hoc obstat, quod neque consternendo mare ipsum inmutatur, obpositum autem *subvorsos montis* necessario postulat, ut quod ipsum mare quasi patiatur, quo natura eius conmutetur, adiungatur. Cui prorsus satis facit id, quod in paucissumis libris inventum est quoque ducit Com. *contra*, *contracta*. Quod adeo coniectura restituendum censerem, quoniam quonam modo divorsitas scripturae *constrata* et *constructa* nata sit, vix commode explicari potest, nisi ab Sallustio verbum utrique simile scriptum fuisse statuerimus, set multo magis conmotus loco Horati Carm. III 1, 33 *contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum molibus* [2]). Horati enim animo multis locis, ubi de moribus conruptis atque luxuria canit, Sallusti dicta obvorsata esse certum est [3]). Quod idem valet de loco Cat. 20, 11, quem ex 13, 1 repetitum esse nemo umquam negavit. Quo loco ad inlustranda Horati verba Carm. II 18, 20 *marisque Bais obstrepentis urgues submovere litora parum locuples continente ripa* num uti potuit Acro, nisi legisset id, quod J. F. Gronovius pro *extruendo*, quo verbo quo minus Sallustium usum esse credamus ipsius notio atque usus obstant, scribendum esse coniecit *extrudendo* (cfr. Caes. B. G. III 12, 3 *extruso mari aggere*)? Et num Porphyr. ad eundem locum Horati verba Sall. 13, 1 conmemorare potuit, nisi *contracta* scriptum invenisset?

1) Nec moveor quod Ambros. hex. V 10 *deficit terra hominibus, sternuntur et maria* scripsit.

2) Ne quis temere me Horatium nominasse iudicet, quoniam Peerlkampius et Meinekius eas duas strophas spurias censuere, defendi eas posse ostendit Herbstius Lectt. Venus. (Gedani 1858) p. 10.

3) Ut uno exemplo defungar, quam saepe Horatius ambitionem, quam Sall. Cat. 4, 2 *malam* adpellavit, notat. Cfr. Sat. I 4, 26. 6, 51. 129. II 6, 18.

Cat. 14, 5 cum Gerlachio scripsi *molles aetate et fluxi* pro eo, quod volgatum est *molles et aetate fluxi*. Illud enim et optumi libri suadebant et sententia. Nam inconstantia consiliorum num aetatis iuvenilis vitium est, mollities non est? Ut igitur *aetate* ad utrumque referretur, optumorum librorum auctoritati parendum fuit. Cfr. Krüg. gr. lat. §. 648 2b p. 937.

Cat. 15, 2 cum optumis libris nunc scripsi *privignum adultum aetate*, quod in *adulta aetate* mutare librariis proclive erat. Etenim illud tuetur locus Suet. Aug. c. 69, ubi omnes libri *qui matres familias et adultas aetate virgines denudarent*. Nec temere *aetate* supervacaneum putandum est, cum significet, quo argumento aliquis adultus habeatur ('der nach seinem Alter für erwachsen angesehen werden musz').

Cat. 19, 3 [1]) haec in plerisque et optumis libris leguntur: *Set is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Ductare*, quod Sallusti proprium esse Quint. VIII 3, 44 monuit, cum proprie sit huc illuc ducere (Iug. 38, 1 *quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare)*, tum de ducibus dictum est, qui exercitui in bello aut in expeditionibus, quae varias in regiones fiunt, praesunt (cfr. Cat. 11, 5. 17, 7. Iug. 70, 2). Quid autem illud est, quod Piso Hispanos equites in exercitu ductasse dicitur? In exercitu habuisse recte diceretur, in exercitu ductare potest vel is, qui ei parti exercitus praeest, vel qui partem militum una cum exercitu ducit, ab exercitu non dimittit, set una cum relicuis iter facere cogit, quorum neutrum in Pisonem cadit. Et profecto miramur, quo tandem modo fieri potuerit, ut equites Hispani Pisonem adgrederentur, si eos in exercitu secum habuisset. Quod si quis dixerit Sall. nihil aliud dicere voluisse nisi equites Hispanos in exercitu Pisonis militavisse, id prorsus superfluum fuit. Senserunt eam difficultatem librariorum ei, qui *in exercitum* conrexerunt, ut Piso illos equites fortasse ab sociis coactos ad exercitum ipse duxisse diceretur, id quod non minus ab veri specie abhorret, quam *in exercitu*. Expectamus equites oportunitate data usos diei; quae autem melior obtingere potuit, quam cum soli in itinere Pisonem comitarentur? Ergo quod iam antea conieceram, *sine exercitu* scribere eo minus dubitavi, cum codicis in auctoritas adcessisset.

Cat. 20, 15 recte Linkerum ex 𝔅 recepisse *hortantur* pro *hor-*

1) Paulo ante *et iam tum* advorsus Sellingium em. p. 14 defendere supersedere posse mihi videor.

*tentur* eum gravitas, quae ita sententiae additur, ostendit, tum quod Vaticani fides per marginem eod. P confirmata est. Atque cum eodem in sequentibus *utemini* scribere eo minus dubitavi, eum rursus cum 𝔅 conplures optumi libri consentirent, et veri similius videretur futurum in inperativum, quippe qui pro condicione positus magis in usu esset, mutatum quam ex hoc illud factum esse. De forma membri cfr. Madv. gr. lat. §. 348 an. 5. Simile huic loco est Cic. Ac. II 36: *age restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos: Diodoto quid faciam Stoico*, set futurum simplex ponendum fuit, quoniam de re continuanda dicitur.

Etiam optumos libros emendationi locum relinquere cum alii loci ostendunt, tum Cat. 23, 4, ubi pervorse *insolentia Curi caussa cognita* in plerisque scriptum est.

Cum conventum coniuratorum, de quo Sall. Cat. 27, 4 narrat, in domo M. Porci Laecae factum esse ex Cic. in Cat. I 4, 8. pr. Sull. 18, 42. Cass. Dione l. supra p. 40 conlato constet, mirum profecto est, quod apud illum scriptum est *coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam*, ut aut nescierit quo Catilina socios convocasset, aut lectoribus permiserit, ut ex *per M. Porcium Laccam* acute intellegerent in domum eius convocatos esse, quorum neutrum eo dignum est. Recepi ergo cum Linkero Palmerii coniecturam *penes* [1]), neque deterritus sum eo, quod *penes* alias semper significat in cuius domo vel potestate aliquid sit, cum *apud* similiter pro *ad* dictum esse ab Lucilio Nonius testetur p. 357 ed. Roth.

Cat. 28, 4 ex optumis libris scribundum existumavi *nonnullos ex Sullanis coloniis*. Ubi *nonnulli* cum *ex* partitivo coniunctum sit, nullum alium locum novi, et cum illud adiectivum non tam partem, quam multitudinem quamdam significet, minus recte eam praepositionem adsciscit, nisi de exemptione et delectu dicatur. Cum genetivo coniunctum est ap. Sueton. Caes. 20. Aug. 59. Sallustius alias ut omnes elegantiores scriptores cum nominativo coniunxit; cfr. Cat. 49, 4. 58, 13. Set recte dicitur *ex coloniis*, ut 17, 4: *ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles.*

Nollem Cat. 29, 1 librorum omnium scripturam olim defendissem *exagitatam*. Recte iam Cortius emendaverat *exagitatum*. Vid. Selling. p. 19.

Multum disputatum est de loco Cat. 31, 5, ubi Kritzius ita

1) *per* pro *penes* in nonnullis libris scriptum est lib. ad Herenn. IV 5, 7 p. 120, 13 ed. Kays.

scripsit: *Postremo dissimulandi caussa et ut sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum venit,* Fabrio adsentiens et reiectis eis, quae Nov. Ann. XLVI p. 385 monui. De qua re ut recte iudicari possit, primum ordiundum est ab vocabulo *iurgii. Iurgium* igitur Nonius inquit p. 292 ed. R. *et lis hanc habent distantiam: iurgium levior res est siquidem inter benivolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur; inter inimicos dissensio lis appellatur. M. Tullius de Rep. lib.* IIII: *admiror nec rerum solum sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant, inquit: benivolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Et in sequenti: iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare;* unde illud certum est, *iurgium* significare obprobrium in aliquem coniectum, unde altercatio oriatur (cfr. Döderl. Syn. III 250. V 274). Sic dictum Cat. 9, 2: *iurgia discordias simultates cum hostibus exercebant* et Iug. 27, 1: *interdum iurgiis trahendo tempus.* Adparet ergo iurgium h. l. nihil esse posse, nisi aut quod in senatu in Catilinam dictum iam fuerit, aut quod dictum iri expectari potuerit. Illud si posuerimus, hoc dicetur: quasi (vid. tamen infra ubi de Iug. 60, 4 dicetur) antea in senatu indignum in eum obprobrium iactum esset; Catilinam igitur simulare voluisse se iurgio lacessitum esse. At num ea quae in senatu quamvis tecte in se dicta et decreta essent, se pro iurgiu habere simulare potuit? Quid effecturus fuit, si se quae antea dicta essent, leviorem altercationem habere dixisset; si non dixisset, cui illud in mentem venire potuit, enim in senatum venire hac specie praetenta ut se expurgaret, quasi iurgio lacessitus esset? Illud satis certum est Sallustium quid Catilina in senatu facere, non quae homines eo, quod in senatum veniret, credere voluerit, dicere; unde hoc consequens est, iurgium esse, quod in eum fieri potuerit. Tum vero *sicuti* ferri non potest. Qua re Linkerus conrexit *sicubi;* quod ut recte ab eo Iug. 60, 4 restitutum est, ita h. l. mihi minus probatur, quia non tam incertiorem expectationem: 'si forte quando', quam aliquid certe positum loci ratio videtur flagitare. Et probarem quod in P[1] primo exaratum fuit, *si,* quodque etiam P *si...t* testatur, si quo modo inde *sicuti* fieri potuisset, facile esset ad intellegendum. Cum igitur veri simile mihi videretur, scripsisse Sallustium, quod per *si* explicatum cum eo ipso conmixtum *sicuti* peperisset, *ubi* restituendum putavi. His igitur disputatis de eis quae praeceduut facilius statui poterit. *Expurgare* dici de eo constat, qui culpa se liberet, crimina diluit, velut Tac. ab exc. d. A. XVI 24: *Thrasea — codicillos ad Neronem conposuit, requirens*

*obiecta et expurgaturum adseverans si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset.* Neque aliter dictum est ap. Gell. N. A. VI 3, 5; *fidem consiliumque publicum expurgarent*, et ap. ipsum Sall. Iug. 69, 4; *Turpilius — iussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus — poenas solvit.* Adparet ergo Catilinam in senatum venisse, ut si crimen — quoniam in senatu agebatur, iurgium id dicendum — in se coniectum foret, id dilueret. Iam quaeritur num id idem sit atque *dissimulare?* Nonne autem qui aliquid dissimulat, hic se id fecisse aut scire negat, ut Volturcius Cat. 47, 1 *de coniuratione dissimulat?* An igitur is qui dissimulat, crimina diluit? Unde apertum est haec per *et* coniungi non potuisse, multoque minus per *et ut*, in quibus *ut* quid significet prorsus non intellego. Venit ergo Catilina in senatum, ut consilia dissimularet, *i.* e. negaret se quidquam consili advorsus rempublicam iniisse nec quidquam de ea re scire, sive id verbis declaraturus erat sive speciem praetenturus, si tamen iurgio lacessitus foret, si quaedam sibi obiecta, quibus argueretur, ea diluere. Recte ergo *aut* locum haberet. Sed mirum est, quod in P *ut* scriptum est, nec facile intellegitur quo tandem modo ex *aut* fieri potuerit, quod in recentiore primi generis familia exaratum est. Scilicet in archetypo fuit *vel*, quod h. l. quia alterum quod fieri potuerit adiungitur, aptissumum est. Quod cum in archetypo obscuratum *ut* lectum esset, alii *aut* scripserunt, alii *et* coniunctionem adiecerunt. — Paulo post 7 *postulare a patribus* coepit veram scripturam esse confirmatur per vetustissumos codices, qui *postulare patribus coepit* exhibent, ut ea scriptura utique praeferunda sit Gruteri coniecturae *postulare patres conscripti ne quid*, quae quam parum apta esset demonstravit Sellingius em. p. 21.

Cat. 33, 5 quamquam optumi libri omnes *amittit* tuentur et, qui *amisit* exhibent recentiores neque ullius fidei sunt, tamen cum Sellingio em. p. 22 perfectum de coniectura restitui, quippe cum sententiae maior vis esset, cum usu id compertum esse significaretur, neque ab veri specie abhorreret, librarios usum illum vel ignorantes vel hoc loco ab sententia alienum iudicantes praesens suo marte restituisse.

Cat. 35, 3 quoniam optumi libri, quamquam *quin* exhibent, tamen ante *possem* negationem *non* retinent, *quia* autem non prorsus librorum testimoniis caret, *quia — non possem* archetypi scripturam fuisse persuasum habeo. Atque profecto adeo maiore gravitate Catilina ita

inopia solvendi se moveri negare videtur, quam si *quin* — *possem* scribatur. Set quae sequuntur *cum et alienis nominibus* non solum eo nomine suspecta sunt, quod Sallustius *et* uumquam pro *etiam* dixit, nisi forte fr. III 31 satis certum testimonium esse putas, set etiam quod in libris vetustissumis et optumis vel *cum* omissum vel *set* vel *set et* scriptum est. Quod quis non videt ex *scilicet* per conpendium scripto natum esse? Librarios cum *et* vel *set* legissent, *cum* delevisse quid mirum? Postremo uomine acerbitas quaedam, qua Catilina illud obprobrium reiciat, aptissume illo adiuncto exprimitur.

Cat. 36, 5 in verbis *tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat* nemo obfeuderet (cfr. Iug. 32, 4 *tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat.* Fr. I 47, 9 *neu patiamini licentiam scelerum quasi tabem ad integros contactu crescere.* IV 26 *qui quidem mos ut tabes in urbem coierit*), nisi in multis bonis libris legeretur *atque uti tabes*, quod casu quodam aut per librariorum lubidinem inlatum esse prorsus veri dissimile est. Commode ac scite igitur Hauptius *ac veluti tabes* coniecit, set veri similior mihi visa est coniectura eius viri docti, qui censuram novissumae editionis Kritzii in Actis litterariis ab Zarnckio editis scripsit, Conradi Bursiani ut opinor, *erat quae uti tabes*, praesertim cum obscuratae in archetypo litterae ac voces multis locis conruptelarum origines fuerint.

Cat. 38, 3 quamquam *per illa tempora* et in editione mea et Nov. Ann. XLVI p. 386 sq. defendi, tamen nunc tauto optumorum codicum conseusui cedendum ac *post illa tempora* retinendum censeo. *Illa tempora* eadem putanda sunt, quae paulo aute 37, 11 verbis *multos post annos* Sall. significavit. Set tamen vitio Sallustio tribuendum est, quod de quibus temporibus dicat legeutes suspicari potius quam edoceri maluerit. Quod cum ab eius studio perspicuitatis alienum existumem, scribundum conicio *post Sullae tempora.* Quod nomen cum *sillae* scriberetur, obscuratio litterarum facile errorem *illa* gignere potuit.

In eis, quae in conventu philologorum Stuttgartiae de Sallustio disserui (vid. Act. p. 6), dixi mihi Cat. 39, 4 scribundum videri *illis si.* Cuius sententiae argumenta in diss. quo tempore quoque consilio Sallustius Catilinam scripsisse videatur (Grimae 1846) his verbis exposueram, quae quoniam is libellus paucorum in manus venit, h. l. repetam: „Verba ut in libris scripta suut, sane aliter accipi non possunt, quam ut sententia coumuni quantas in turbas permixtionesque rerum civitas

semel laxatis legum vinculis ruat, ostendatur [1]). At ex omni nexu nihil manufestius est, quam scriptorem ea ponere voluisse, quae si Catilinarii vicissent futura fuissent, unde adparet scribundum esse *illis si victoriam adepti forent*, et *illis* liberiore modo ad Catilinarios relatum, qui quin intellegundi essent, antea Catilinae nomine posito non dubium esset." Quibus nunc addo, illud ipsum quod pronomen liberius ad praecedentia relatum est, librarios videri movisse, ut *qui* scriberent.

Cat. 42, 3 omnes libri *item in citeriore Gallia G. Murena* exhibent. At G. Murenam in Gallia Transalpina fuisse constat ex Cic. pr. Mur. 41, 89; in Galliam cisalpinam Q. Metellum missum fuisse (Cic. in Cat. II 12, 26) certe non ignorabat Sallustius, quamquam supra 30, 5 *agrum Picenum* solum nominavit. Hunc igitur errorem turpissumum utrum Sallustio an librariis inputandum existumas?

Quae difficultates Cat. 43, 1 omnium librorum scripturae *in agrum Faesulanum* obstarent, olim exposueram et suspicatus eram locum intelleguudum esse Romae urbi propiorem. Quam suspicionem nunc abicio, quoniam num alterum oppidum Faesularum nomine exstiterit, incertissumum est et Sallustius utique obscure scripsisse putandus esset. Set iam dudum mihi persuasum est, aliud nomen ab eo scriptum fuisse, quod librarii cum minus eis frequentatum esset, in *Faesulanum* conrupissent, quod fuisse *Carsulanum* paene certum mihi videtur. Carsulae enim, oppidum Umbriae inter Tiberim et viam Flaminiam, haut longe ab Narnia situm (Strabo V p. 312 ed. Mein. Plin. H. N. III 14 (19), 113. Tac. Hist. III 60. Mannert. Geogr. ant. IX 1 p. 482), neque procul aberant ei, qui ab Faesulis devio itinere per montis Romam peteret — id vero Catilinam sic instituisse, ne copiae vel dilaberentur vel pugnis minuerentur, veri simillumum est, — neque ab urbe ita dissitae erant, ut si coniurati Roma erupisseut, eodem die exercitum ab illo oppido profectum convenire non possent.

Duobus locis Linkerus *item* pro *autem* restituit, Sellingio em. p. 23 sq. praeeunte, Cat. 43, 2 ubi omnes libri *Cethegus Ciceronis ianuam obsideret eumque vi adgrederetur, alius autem alium*, et 50, 1 *liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiundum sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum —, Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos, orabat ut grege*

1) Iacobs: 'Andeutung des un- durch eine Umwälzung entfesselten ausbleiblichen Weiterstürmens der Kräfte'.

*facto cum telis ad sese inrumperent*, ubi item omnes libri *autem* tuentur. Set primum advorsus eam suspicionem hoc dubitationem movet, quod *item* semper in principio membri ponitur, nisi ubi aliqua notio ecferunda est, velut Cat. 17, 7 *fuere item* (coll. 61, 8), 18, 1 *set antea item coniuravere pauci*, Cat. 51, 22 *an quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus — exilium permitti iubent*, Iug. 31, 7 *post G. Gracchi et M. Fulvi caedem item vostri ordinis multi mortales — necati sunt*, vel post relativum Cat. 51, 36 *cui item exercitus in manu sit*, Iug. 47, 4 *quos item uti priores consul inlectos ad proditionem domum dimittebat.* Iam priore illo loco nulla prorsus caussa est cur *alius* numero ecferatur, cum etiam aliis praeter Ciceronem insidias structas fuisse verbis praecedentibus *ceterosque quibus insidiae parabantur* indicatum sit et per se adpareat Cethegum Ciceronis ianuam obsidere simul et aliis caedem intendere non potuisse. Qua re Sallustium certo credo scripturum fuisse non aliter quam in loco simillumo Cat. 27, 4 *se Manlium praemisisse ad eam multitudinem — item alios in alia loca oportuna. Autem* vero cum ibi ponatur, ubi quod rem conpleat adicitur (vid. quae olim ad Iug. p. 239 disputavi) eo loco aptissumum est. Altero porro loco Cethegi nomen ecferundum fuisse nemo negabit, at per *item* ecferri ne potuit quidem, quoniam, quae is ipse instituit, non eadem fuere, quae pro Lentulo alii fecere. Ad hunc per seditionem eripiundum amici et clientes sua sponte, iniussu illius, adnisi sunt, ille ipse ad suos gladiatores misit. Quid vero? Cum novi aliquid quodque simul maius et gravius sit, ad idem pertinens, adiungatur, nonne *autem* aptum est?

Cat. 47, 2 de Allobrogum indicio haece referuntur: *eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse cui fatum foret urbis potiri: praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruentum fore.* Quae si conparaveris cum eis, quae Cic. ad populum dixit in Cat. III 4, 9: *Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis aruspicumque responsis esse se illum tertium Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinnam ante se et Sullam fuisse; eundemque dixisse fatalem hunc annum esse ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus post virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus*, in rebus non multum

differre intelleges, quamquam Cicero prius illud non ex Sibyllinis libris modo, set etiam ex aruspicum responsis ductum fuisse adfirmat, Sallustius prius ad Sibyllinos libros, alterum ad aruspices rettulit, praeterea hic virginum absolutionis nullam mentionem fecit. Uter verius rettulerit quaerere non est huius loci; pro Cicerone recens memoria, pro Sallustio eorum quae Ciceronis iussu perscripta erant (pr. Sull. 14, 42) usus commemorari potest; hoc loco illud potius quaerendum, num in Sallusti verbis conruptela sit, quae Ciceronis ope tolli possit. Nam mirum profecto est, quod cod. m [1]) *quem sibi ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruentum fore* exhibet; quod ex errore librarii natum esse cum per se veri simile non sit, tum eo redarguitur, quod ad sententiam aptissumum est. Nam profecto Lentulus, quem, ut mentitus sit, tamen probabiliter mentitum esse consentaneum est, cum tribus Corneliis regnum Romae portendi dixisset, debebat commemorare, unde se tertium Cornelium esse, cui fatum foret urbis potiri, conclusisset. Quod qua re melius confirmare potuit, quam cum oraculum sibi editum proferret? Aruspices autem ad ea sacra adhibitos esse, quae aliquis ut quod sibi porteuderetur conperiret faciebat, vix est quod moneam. Ac fateor quidem, quae illud responsum continet, publice magis quam privatim editi oraculi speciem prae se ferre, set quidni statuamus, Lentulum cum quo anno optume praeturam petiturus esset — scilicet ut ignominiam sibi inpositam tolleret, — quaesivisset, hoc responsum accepisse ut eo anno peteret, qui esset post Capitolii incensionem vigesimus; eum enim bello civili cruentum fore? Adcedit, quod Cicero alteram partem eorum, quae Lentulus dicere solitus esset, ita a priore separat ac discernit, ut ad alia oracula quam ad quae in priore illum spectasse adpareat. Quod si *sibi* tale est, quod prorsus reiciundum non videatur, quid de *saepe*, quod relicui libri omnes tenent, iudicandum? Idne ex *sibi* conruptum esse censebimus, an librarios ita emendavisse? Minume. Set quid? nonne veri simile est Sallustium scripsisse *quem saepe sibi ex prodigiis* cet.? Scilicet pro gravissumo ac maxumo incitamento habendum est, si idem non semel, set saepe ex prodigiis alicui ab vatibus responsum fuerit.

Cat. 52, 25 nunc pro *deprensis* vel *deprehensis* scribundum putavi *adprehensis*, cum vetusti atque optumi libri id praeberent et veri similius videretur insolentius verbum in usitatius commutatum, quam pro consueto minus frequentatum restitutum esse. *Adprehendi* autem

1) Nec neglegendum est in 𝔊 supra *saepe* adpictum esse *i*.

eos diei, qui subito in vincula conripiantur, ostendit Caecil. ap. Gell. XV 9, 1 (80 ed. Ribb.) *nam hi sunt inimici pessumi fronte hilaro, corde tristi, Quos neque ut adprendas neque uti dimittas scias* et Apion. ap. eund. Gell. V 14, 26 *a militibus visus adprehensusque sum.* — Paulo post 27 *convortat*, quod ab libris maxume munitum est, tamen in *convortet* mutandum censui, non quo post *ne* adfirmativum coniunctivum poni posse negarem, qui ipse scriptus est Iug. 14, 21, set quia gravis adfirmatio non solum huius loci naturae, set etiam Catonis ingenio aptior videbatur. — Tum 32, ubi ne Linkerus quidem Vaticano quidquam tribuendum existumavit, ego eum ad illius fidem alii ex vetustissumis et optumis libris adcederent, pro *aut hominibus* scripsi *si deis atque hominibus umquam ullis pepercit.* Etsi enim non ignorabam in sententia vim negativam esse, tamen neque *atque* ab negativis sententiis prorsus exclusum est, et recte dei cum hominibus in unum coniunguntur, quo exprimatur Lentulum non veritum esse ea committere, quibus dei simul et homines laederentur.

Dubia sunt verba, quae Sallustius 54, 5 postquam de Catone *esse* inquit *quam videri bonus malebat*, adiecit: *ita quo minus petebat gloriam, eo illum magis sequebatur.* Ac primum quidem si librorum scripturas aestumaveris, pronomen post *magis* ponendum esse facile concedes. Set quo minus *illum* verum putemus, cum libri obstant, nam optumi *illum assequebatur* exhibent, quod cum ferri non possit aliud quiddam ab S. scriptum fuisse ostendit, tum ratio, cum quidquid obloeutus est Selling. em. p. 34, illud non eeferundum esse luce clarius sit, Catonem gloriam secutum esse, quippe cum non huic id soli acciderit, set cuique simili. Contra adparet *gloriam* numero quodam notandam esse, quae quamvis spreta, tamen eum secuta sit. Poterit ergo quodam modo *illam adsequebatur* defendi, set tamen hoc rectius diceretur de eo qui gloriam peteret, non qui contemneret. Qua re paene certum videtur Sallustium scripsisse: *eo magis illa sequebatur.* Ad quod confirmandum iuvat similes aliorum sententias commemorare: Plin. Ep. I 8, 14 *sequi enim gloria non adpeti debet, nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit minus pulchrum est.* Liv. II 47 extr. *spreta in tempore gloria interdum cumulatior rediit.* IV 57, 6: *exemplum fuit collegis se eumque intuentibus, quam gratia atque honos oportuniora interdum non cupientibus essent.* XXII 39, 19 *gloriam qui spreverit, veram habebit* (quippe gloria est vera, quae sua sponte, non adpetita sequitur).

Quo iure cum Linkero et Kritzio Cat. 58, 9 contra libros *sin*

*metu cesserimus* scripserim, harum rerum peritis vix exponendum videtur [1]).

Cat. 59. 3 volgata sunt haec: *ipse* (Catilina) *cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico G. Marius in exercitu habuisse dicebatur.* Mirum est, si Sallustius scripserat *colonis*, id in *coloniis*, atque adeo quod vetustissumi et optumi exhibent *colonibus* conrumpi potuisse. Et qui tandem fuere illi coloni, quos Catilina secum habere voluit? Sullae, inquiunt, veterani, in Etruriam deducti colonique facti. Eorum magnum numerum in Catilinae exercitu fuisse nemo ignorat, at nonne credibile est eos optumos armatos fuisse quos omnes in primam aciem subductos modo scriptor conmemoravit? Iure meritoque Gruterus hic requiri dixit cohortem praetoriam, quam sibi Catilina ex fortissumis paraverit, at id Sallustius certe dixisset. Scilicet ex omni re apertum est, Catilinam exiguum numerum copiarum suarum celare voluisse. Qua re optumos in primam aciem subduxit, minus bene armatos et inutiles ad pugnandum in subsidiis conlocavit, quo hostibus maioris numeri speciem praeberet. Ipse aperte in subsidio constitit nec per se incredibile est secum habuisse eos, cum quibus laborantibus optume auxilium ferre posset. At num liberti tales fuere? Contemptum profecto genus et in armis minume exercitati. Videlicet eos quoque nullam aliam ob caussam circa se retinuit, nisi ut hostes specie falleret. Recte talibus adiunguntur *calones*, quos interdum militibus, quo numerus augeretur, inmixtos esse constat (cfr. Liv. XXXVII 18). Qua re *calonibus* non tam codicis cuiusdam Cuiaciani auctoritate, quam coniectura ex optumorum librorum scriptura *colonibus* refingendum censui.

Locus difficillumus est Iug. 3, 1 ubi non solum libri manu scripti mirum in modum variant, set etiam virorum doctorum sententiae in diversissuma abiere. Alii enim *is*, alii *vis*, alii *ius* (Selling. lect. p. 18 sqq.) probavere, set nemo negavit, haec omnia inpedita neque satis plana et perspicua esse. Quicumque autem codicum scripturas diligenter perscrutatus fuerit, facile ad eam sententiam adducetur, locum conruptum esse, cum pro eo quod Sallustius scripsisset explica-

1) Omnino de eis locis, in quibus emendandi ratio iam ab aliis inventa ac probata est aut facile perspicitur, fusius disputare supersedeo, velut de Iug. 8, 5 *suamet ipsum pecunia*. Iug. 68, 4 *late* pro *latere*. 80, 7 *nulla* pro *nullam*. 98, 3 *quaerebat* pro *gerebat*. Neque copiosius de talibus suspicionibus exponam, qualis est, quam ad Iug. 10, 5 significavi, pro *amicior* mihi scribundum videri *coniunctior*.

tiones et glossemata in textum reciperentur. Ut igitur quale illud fuerit coniectura probabili consequi possimus, de sententiarum nexu ac ratione quaerendum est. Iam qui nulla praeiudicata opinione verba *nam vi quidem — libertatem suam gratificari* consideraverit non poterit non concedere, ea omnia ad gerendorum honorum ac magistratuum rationem spectare. Quae semper duplex est, ut boni aliquid aut efficiatur aut non efficiatur. Atque ita Sallustium bipartitam orationem esse voluisse, intellegitur ex ea ratione, qua *frustra niti* per particulam *autem* praegressis obposuit. *Nisi forte* vero numquam ab Sallustio usurpatum est, nisi ut cum modo praegresso artissume coniungatur, quod aut contra spem acciderit aut ab nemine facile factum iri scriptor ponat (vid. Ind. et quae olim disputavi ad Iug. p. 117), ut manufestum sit, membrum *nisi forte — gratificari* continere rationem, qua aliquid effici possit, quam vero nemo facile ingressurus sit. Verba autem ne neglegantur, *inportuna* dici non quae periculum minitentur, set quae oportunitate perficiundi vel tractandi careant (vid. Madv. ad Cic. d. Fin. II 26, 85 p. 288), ergo quae nemo facile adgrediatur, apertum est, nec minus si *delicta conrigere* is dicatur, qui magistratum multo negotio ac labore petiverit, non de aliorum delictis, set de eius ipsius cogitari posse; scilicet qui vi utitur in regendis patria et parentibus, tollit quidem vitia civium et mala in re publica nata et inveterata, set ita simul, quae ipse advorsus leges deliquit, conrigit. Iam hanc esse Sallusti sententiam invenimus: in magistratibus et inperiis aut ut aliquid efficias vi utendum est in patriam et parentes, aut frustra niteris. Ab illo, ut nihil inpediat utque quae peccaveris ipse conrigas, tamen multa dehortantur, praesertim cum quo abitura sint quae instituas nescias; alterum, frustra niti et nihil efficere nisi ut in odia hominum incurras, dementiae esse iudico; nam neminem credo fore, qui ut aliquid ipse possit paucis potentibus libertatem suam ac dignitatem vendere velit [1]). Iam cum verba *nam vi — libertatem suam gratificari* nihil aliud significent nisi magistratus illo tempore geri non posse ut aliquid boni et utile te effecturum sperare possis, sententiam, ad quam inlustrandam et confirmandam ea pertineant, nullam aliam esse posse adparet nisi hanc: qui in magistratu sit, ei nullam copiam esse honoris i. e. gloriae adipiscundae. His igitur quid efficitur? Nempe *tuti* notionem ab eo loco, de quo quaerimus, alienam esse; id quod etiam aliis argumentis confirmatur. Nam cum de vita

1) Cfr. libell. meum *quo tempore quoque consilio Sall. Catilinam scripsisse videatur* p. 5.

tuta quaerere omnino Sallusti ingeni non est, qui per summa pericula et labores ad immortalitatem gloriae enitundum censeat, tum ipse luce clarius ostendit se de eis tantum artibus dicere, *quibus summa claritudo paretur*, non quibus vita tuta, quae latentis et in obscuro ac demisso degentis est, praestetur. Deinde mirum profecto est, cur scriptor *tuti* ab *honesti* ita separare maluerit, ut alterum in comparatione poneret, cur non scripserit *eo tutiores aut magis honesti sunt*. Quis ergo est, qui *tuti* ex conruptela natum esse neget? [1]). Quae vero caussa proferri potest h. l., cur magistratus et inperia non cupiunda videantur ei, qui ad veram gloriam enitatur? Aperte haec: ea neque honeste peti neque honeste geri posse. Cum autem honorem nemo per virtutem nancisci possit, necesse est, qui eum adeptus sit, per fraudem adeptum esse. Qua re hoc iu verbis illis inesse debere consequitur: qui honoribus functi sunt, per fraudem nancti, non eo magis honesti sunt, eo maiorem honorem sibi parare potuere, vel: neque quibus per fraudem ut honorem nanciscerentur contigit, eo magis honesti sunt. Iam quid vetustissumi libri duo exhibent? P *quibus per fraudem iis fuit uti tuti aut eo;* P[1] *quibus per fraudem his fuit uti eo magis*, et postea demum conrectum est *tuti*. *Iis* vel *his* ferri non posse, quoniam praecedit singularis *honos*, adparet, nec tamen difficile est ad intellegundum, additum id esse, ut *uti* haberet, quo referretur [2]). In archetypo ergo certum est fuisse: *neque illi quibus per fraudem fuit uti eo magis honesti sunt.* Quae scriptura nonne ad sententiam prorsus apta est? Nam obiectum verbi *uti* omissum obfendere non potest, cum nemo quid adsumendum sit frustra quaesiturus sit, ueque *est* cum infinitivo coniunctum quamquam poëtarum moris est, ab Sallusti ingenio alienum iudicandum est, quippe qui multa ad Graecorum exempla novasse videatur, eoque minus cum supra p. 96 ut Iug. 110, 3 idem dicendi genus probetur, sententiam postulare cognoverimus. Nonne denique facile perspicitur, quo modo ex illa scriptura relicuae, quae in libris sunt, *fuit tuti*, *fuit utique*, *fuit tuti utique*, quaeque ante *fuit* addita sunt, nasci potuerint?

Iug. 10, 7 *quia aetate et sapientia prior es* eo lubentius recepi, cum eo P duceret, et si relativum teneretur, utique coniunctivum Latinitas efflagitare videretur.

1) Ne quid ex aliena laude mihi adrogasse videar, Linkerus iam ita se indicare ostendit, *tuti aut* uncis includens.

2) *eis* ad *magistratus et inperia* referri posse non ignarus sum; at sic contortior utique oratio Sallustio tribuitur.

Iug. 12, 3 volgatum fuit *uti tamquam suam visens domum eat.* Quae verba contorta esse, cum *suam domum* obiectum participii *visens* sit simul et ad *eat* referri debeat, facile perspicitur. Qua re non dubitavi recipere, quod Gruterus coniecerat, quodque casu quodam in M[1] et M[2] scriptum est, *sua visens*.

Iug. 14, 3 *vellem potius — posse me — petere* iam ab multis *me*, cum in multis bonis libris omissum esset, eiectum est, set quo modo factum esset, ut in tot adiectum legeretur, nemo aperuit. Id ostendit P[1], cum quo scribendum esse *possem* vix est quod pluribus exponam. — Eiusd. cap. 17, auctore Bojeseno praef. ed. prioris p. XVIII cum recentiore primi generis familia nunc scripsi *nationesne aut reges* pro *nationesne an reges*. Quid enim agit Adherbal nisi ut nusquam sibi auxilium petere licere nisi a populo romano ostendat? Qua re de eis tantum illud quaerere potest, qui Romanorum dicionis non sunt; ei autem in unum conprehendundi sunt, ut per *qui omnes* coniunguntur. Utrum ad reges an ad liberos populos adcedat quaerere pervorsum est 1). In *aut* hoc inest: Num adpellem qui dicionis vestrae non sunt, qui aut liberi sunt aut regio inperio utuntur? — Eiusd. cap. §. 23 qui anaphorae vim atque usum noverit, Vaticani scripturam *set omnis has* cum Linkero probare non dubitabit, praesertim cum librarios id in *et* mutasse non mirum sit.

Ut Iug. 18, 2 reciperem *quas nox coëgerat* pro eo, quod studiose olim defendi *qua nox coëgerat*, non tam Hieronymi et Sulpici Severi testimoniis commotus sum — nam illis obponere possumus Pomp. Mel. I 8, 3 —, quam optumorum librorum consensu. Et *quas*, quod difficilius est, facile in *qua* aut errore aut consulto mutari potuisse in propatulo est. — Eiusd. cap. 6 optumorum librorum scripturam *mare magnum et ignara lingua conmercio prohibebant* eo lubentius amplexus sum, quod quid Persas, qui aedificandi materia egerent, quo minus cum Hispanis conmercia instituerent prohibuerit dicendum potius esse adparet, quam quid Hispanos et Persas ab mutui conmerci consuetudine excluserit 2). Set non potui Linkero adsentiri,

1) Peerlk. ad Verg. Aen. IV T. I p. 276 coniecturam: *nationesne an reges? Quine omnes — infesti sunt?* conmemorare satis habeo. *An* constat usurpari ubi inlustrandorum praegressorum caussa nova interrogatio adiciatur.

2) Similibus caussis adductus Iug. 67, 1 ex solo P scripsi *portae ante clausae fuga prohibebant*, cum aptius videretur, Romanos milites per portas clausas fugiendo exclusos fuisse.

qui infra 8 sane ex optumis libris *tecto* recepit. Nam constructionem tam duram ac contortam Sallustio tribuere vereor, praesertim cum pluralis potius *tectis* expectetur et *a* illud apertum erroris caussam praebere potuerit, quod ut factum esse suspicemur faciunt, quae in P[1] et B supra scripta sunt. Ceterum per se adparet si aedificium incurvis lateribus tectum sit, ipsum tectum incurvatum esse. Paulo post non video, cur quod optumorum fere omnium codicum testimonio munitum est *Medis autem et Armeniis adcessere Libues* mutandum sit in *Medi — et Armenii*. An quia Libues in Africa iam sedes habebant, Medi et Armenii autem inmigravere? Quidni antiqui incolae novis se adiungere, cum eis societatem iniisse dici possunt? Cfr. Horat. Sat. II 5, 75 *illis accedas socius*.

Iug. 24, 3 cur Linkerus Vaticanum, quem iure meritoque plurimi fecit, sequi noluerit, paene miror. Nam *incertus esse* is dicitur qui consili inops est (Iug. 14, 23. 67, 1. 74, 1. 101, 2), id quod ab hoc loco prorsus alienum, atque ut ponamus *incertum* eum dici potuisse, qui quid iudicaret nesciret, utrum gravius dicit Adherbal, se non discernere, an neminem discernere posse, ferro an fame acrius urgueatur? Nec neglegendum est P margine Vaticani fidem confirmari. Quod si quis miretur, quo tandem modo fieri potuerit ut pro *incertum est incertus sum* scriberetur, conparet inter se sigla *ĩcertũ sˉt* et *ĩccrtu' sũ*. Nec minus infra 9 *scripsi* ex eo 𝔅 solo recepi, cum perfectum constanti Romanorum in epistulis scribundis consuetudini conveniret, nec mirum esset librarios pro eo quod recentiorum temporum moris esset restituisse.

Iug. 25, 4 quod ex optumis libris *senatus princeps* pro insolito *in senatu princeps* restitui, nemo qui quid in textu recensendo sequendum sit teneat vituperabit. Facilius paterer, si quis ex scriptura *in senatu* Sallustium scripsisse *in senatu potens* et *princeps senatus* ab sciolo interprete adiectum esse autumaret. — Cum quod olim iudicaveram, eod. cap. 7 utrum *rapiebatur* aut *rapiebat* scribendum esset, ab librorum auctoritate sola pendere, ad rem nihil interesse, etiam nunc tenerem, non potui non optumorum librorum magno consensui cedens passivum conprobare.

Iug. 26, 3 quamquam Sellingius lect. p. 23 *armatus* defendundum suscepit, tamen *armatis* eo magis rescribundum est, quod cum in deditione arma ponautur, nemo nisi inermis hostibus armatis obvius esse potuit; quem armatum invenissent, iure interficere licebat.

Non constat de numero, qui Iug. 31, 2 ab Sallustio scriptus sit.

Plerique et optumi libri *quindecim* tuentur, alii *duodecim*, multi *viginti* praebent. Iam constat hanc orationem a. a. u. 643 (a. C. 111) habitam esse (Fischer Tab. p. 156). Cum autem G. Memmius quam foede quamque multi perierint plebis defensores conmemoret, necesse est ab Sallustio numerum annorum positum fuisse qui G. Gracchi eiusque sectatorum necem includeret vel adeo qui ab Tiberi Gracchi tribunatu numeratus esset. Quod si *viginti* scriptum fuisset, quo anno Tiberius Gracchus occisus est (621 = 133) numero eo inclusus non esset, et si scriptorem in universum significare, quam adcurate definire maluisse dixeris, aptius ad huius loci naturam fuit augeri numerum quam minui. Contra *duodecim* numerus optume convenit, cum G. Gracchus a. 631 (123) tribunus plebei fuerit, 633 interfectus sit. *Quindecim* si probatur, rursus ad illud confugiendum est, minus diligenter scripsisse scriptorem. Set cum infra 7 Tiberi Gracchi nex conmemoretur, ab omni veri specie abhorret, eius inmemorem fuisse scriptorem, cum illum numerum scriberet. Quid igitur? Nonne omnes eos numeros, qui in libris sunt, falsos esse adparet, atque aut XXV aut XXII scribundum esse? Interim tamen, quod in optumis libris inventum est, intactum reliqui. — Eiusd. cap. §. 10 cum omnes consensissent, non de praeda ex honoribus capienda set de honoribus quasi pro praeda captis dici, quin *praedas*, quod adeo coniectura restituendum fuit, reciperem eo minus dubitare debebam, cum in Vaticano id esset. Scilicet librarii membrorum aequandorum studio in pravum abstracti sunt. — Tum §. 17, quamquam diu multumque dubitavi, tamen tandem librorum optumorum tanto consensui cedendum arbitratus *nonne* scripsi, quippe cum minume ab Memmi ingenio alienum videretur ita dicere ut pro certo id se exspectare significaret (cfr. Madv. ad Cic. d. fin. II 3, 10 p. 153. Klotz Nov. Ann. XXII p. 134. Tischer ad Cic. Tusc. I 8, 17). Neque obscurum est, ad talem spem adiungi aptissume interrogationem illam, qua orator sibi obici fingat: ergo se atrocissume in optumates vindicandum censere. — §. 18 *vobis* recepi ex 𝔙 et P[1], non solum quia ita constructio minus inpedita videbatur, set multo magis, quod aperte dicundum fuit: ea fecisse ab dignitate populi alienum est. Quod vero in P[1] *vos* conrectum est, ea res, quam permultis locis factam esse reperies, ostendit, quantus librariorum mutandi pruritus ad conrumpendos Sallusti libros adnisus sit. — Cum iam olim ad Iug. p. 232 ostendissem *amittere* non numquam dictum esse de rebus consulto neglegendis, non potui non obsequi §. 25 𝔙 *amittatis* exhibenti. Quod eo facilius probavi quod interea cognoveram iam veteres

comicos sic dixisse *noxiam amittere* (Terent. Eun. 852 *unam hanc noxiam amitte: si aliam admisero umquam, occidito)*. Ergo hoc quoque loco pro insolentiore usitatius librarios restituisse adparet.

Iug. 35, 3 quoniam aptius videbatur Minucium ipsum omnia movere voluisse dici neque ea, quae sic nascitur, coustructionis difficilior ratio ab Sallusti ingenio aliena (cfr. Iug. 14, 16. 101, 5), cum optumis libris *movere* quam cum deterioribus *moveri* scribere malui.

Quem ad modum saepe grammaticorum et scriptorum veterum testimoniis plus quam librorum scripturis iure meritoque mihi tribuisse videor (velut Iug. 36, 2 *ludificari* ex solo Arusiano scripsi. Iug. 72, 2 Prisciani *experrectus* aliquid munimenti ab scriptura P *exercitus* accipere videtur), sic Linkero (praef. p. XI) adseusus sum, Iug. 37, 4 ex Senec. Ep. 114, 19 *hiemantibus* reponenti. Neque enim ulla caussa est cur ex Historiis potius exemplum illud sumptum esse autumemus, quam ad hunc locum Senecae verba pertinere putemus, eoque minus cum credibile sit grammaticos insolentiam dictionis emendando tollere voluisse. Et videtur Sallustius exprimere voluisse: aquis quae tum per hiemem ibi perpetuo manebant, non defluebant, quamquam Arruntius aliter accepit. — Nec vereor ne in vituperationem eorum incurram, qui quid ratio postulet teneant, quod 38, 9 *teneret* proprio magis marte quam libri h praesidio refinxi [1]). At audacius videbitur, quod eo capite extremo *mortis metum intuebantur* scripsi. Set quidquid viri docti ad defendundum *mutabantur* (Lechner. Progr. Hof 1828 p. 18 sqq.) vel adeo *mutabant* protuleruut, artificiosiora quam apertiora ac simpliciòra esse, nisi qui praeiudicatas opiniones sequi malit, nemo negabit. Ex librorum autem scripturis nihil ad locum sanandum peti posse, quae exhibent aut conrupta esse aut coniecturas, facile adparet. Set cum plerique et vetustissumi *mutabantur* exhibeant, hoc in archetypo fuisse indeque iu emendando ordiundum esse certum est. Sententia quid flagitet, non obscurum: mortis metu eos inpulsos esse ut graves ac turpes Iugurthae conditiones acciperent. Qua re diu haesitavi, annon Nazariani *motabantur* probandum esset, set abieci quod id verbum magis huc et illuc pellere quam ad aliquid conpellere significat. Qua re ea quam proposui emendatio mihi placuit, cum non solum sententiae conveniret, set etiam facile ansam conrumpendi praebuisse videretur. *Metus* quam saepe de eo, quod metum iniciat,

1) Simili ratione 46, 4 *procederet* scripsi contra libros, 54, 1 *sint* pro *sunt*.

dictum sit, vix est quod pluribus doceam (vid. quae olim ad Iug. p. 260 disputavi), uec magis *intueri* esse: ante oculos habere, considerare, maxume in talibus rebus, unde consilium capiatur.

Iug. 46, 1 cum Kritzio scripsi *simul de innocentia eius certior Roma factus*, quamquam in omnibus Sallusti libris manu scriptis *Romae* legitur, non quo Noni libris tantum tribuendum putarem, set quia id natura loci postulare videbatur. Etenim *simul* parum recte dictum est, nisi quod tum, non duobus annis ante factum sit adiungatur, nec dubium videtur, si Iugurtham Romae id cognovisse Sallustius conperisset, quin *Romae expertus* scripturus fuerit. Neque desiderandum est aliquid tale additum, ut Iug. 82, 1 *interim Roma per litteras certior fit*, cum per se intellegatur aut per litteras aut per nuntios id factum esse, neque obfendit *Roma* inter *certior* et *factus* interpositum, quia illud ecferundum fuit, ab amicis Romanis eum certiorem factum esse, quippe quibus id etiam magis quam aliis credendum esset.

Iug. 47, 2 sane haesitari poterit, utrum Madvigii emendatio *frequentiam negotiatorum et conmeatu iuvaturam exercitum* praeferunda sit, an Palmerii *frequentiam negotiatorum et conmeatuum iuvaturam exercitum*. Illa enim eo conmendatur quod quae sequuntur *et iam paratis rebus munimento fore* ita obpositum habent quod paene sibi postulare videantur, altera inde conmendationem habet, quod sic facillume perspicitur, quo modo omnes libri Sall. conrumpi potuerint. Cum vero negotiatorum frequentia nulla re nisi conmeatu exercitum iuvare possit, cumque maior oportunitas sit, si ad incolentium negotiatorum frequentiam mercantium frequentes conmeatus adcedant, cum Könighoffio Crit. et exeg. Progr. Trier 1854 Palmerii emendationem amplector.

Diu multumque dubitavi de loco Iug. 53, 7 quid statuendum esset. Quod plerique et optumi libri exhibent, *strepitu velut hostes adventare*, id Kritzius ita defendit ut *strepitu* pro ablativo modali (cfr. quae olim ad Iug. p. 359 congessi) haberet, et cum *adventare*, infinitivo historico, coniungeret. Cui sententiae illud obstat, quod cum luce clarius sit alteros, quod hostium adventantium speciem praeberent, apud alteros formidinem et tumultum fecisse, *velut hostes* non cum *adventare*, set cum *formidinem simul et tumultum facere* coniungenda fuisse adparet. Multo melius Cortius, Linkerus alii eiecerunt *adventare*, set ne illud quidem *velut hostes* satis placet, quoniam nulla tum

falsae opinionis vel speciei significatio adest. Diu optumum mihi visum est scribere *velut si hostes adventarent*, quod ad sententiam aptissumum esse nemo facile negabit. Set cum *velut* interdum dictum sit, ubi *velut si* exspectatur (Liv. XXXV 14 init. *secutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea regi Hannibal et suspectior ad omnia fieret.* Cfr. Fabri ad Liv. XXIII 18, 14. Heerw. ad XXI 8, 6), facilius videtur *velut hostes adventarent*, quod cum in libris nonnullis repertum esse narretur, tamen pro emendatione potius quam pro scriptura ex archetypo propagata habendum est.

Multum torsit viros doctos ignis ille missilis, quem Zamenses in Romanos coniectasse Sall. narravit Iug. 57, 5, et sane ab libris satis larga copia et facultas elegundi atque optandi praebetur. Nos in talibus semper ab eis libris ordiundum existumamus quos archetypo proxumos et simillumos esse cognoverimus; eorum scripturam, si probari possit, ubique retinendam. Iam hoc loco vetustissumos libros in *picem sulphure et taeda mixtam ardenti* consentire vix negabis (in P num a erasum sit et primitus *ardentia* fuerit, utique in incerto relinquendum, *teda* autem errore natum facile concedetur). Ex eis igitur locis veterum scriptorum, quos contulerunt Lipsius Poliorc. V 2 T III p. 623 ed. Vesal. 1675 et Sellingius lect. p. 28, picem, sulphur, taedam, asphaltum, oleum ad talem ignem missilem adhibita esse constat, set nullus loco Sallusti similior est, quam Herodian. VIII 4, 9 p. 195 ed. Bekk. *οἱ δὲ Ἀκυλήσιοι λίθοις τε ἔβαλλον ἄνωθεν, καὶ κιρνῶντες θείῳ τε καὶ ἀσφάλτῳ πίτταν ἔλαιόν τε, κοίλοις σκεύεσιν ἐμβαλόντες λαβὰς ἐπιμήκεις ἔχουσι καὶ πυρώσαντες ἅμα τῷ προσπελάζειν τοῖς τείχεσι τὸν στρατὸν κατεσκεδάννυσαν, καταχέοντες ὄμβρου δίκην ὁμοθυμαδόν,* unde illud certum est, in eo genere ignis, quo obpugnatores ab muris removerentur, picem fuisse, qua maxime contineretur. Et id naturae conveniens est, quoniam pix diffluit et per guttas decidit. Quod si Aeylesii pro taeda admiscuerunt asphaltum, cum ut taedam facile ignem concipere densoque fumo ac lucente flamma ardere constat (Naumann El. d. Miner. nr. 609 p. 428). Eundem sulphuris usum esse si docere velim, ne diffidere lectoribus meis videar, verendum sit. Cum ergo hoc constet, picem id fuisse, quo ignis missilis constaret, eique sulphur et taedam admixta, quae ignem conciperent et alerent, *picem sulphure et taeda mixtam* recte scriptum esse adparet. Set difficultas summa in eo esse visa est quod sequitur *ardenti.* Nam expectatur quod ad massam omnem pertineret potius, quam ad eius partes, quam ob caussam Gerlachius *ardentia* probavit, scite etiam ad

*sudis* et *pila* referens, credo *pila* sine ferro intellegens (Polyb. VI 23, 10)[1], Sellingius autem l. c. *ardentem* emendavit, satis probabiliter, modo quo modo id in *ardenti* conmutatum esset adpareret. Set quid nonne sulphur et taeda sunt, quae in illa massa ardeant? nonne quoniam utriusque idem usus erat, in unum ita coniungi potuere, ut *ardenti* singularis ad utrumque referretur? Nonne denique postpositum videtur, quo loco suo motum gravius ecferretur, quippe quo detracto aut neglecto omnis res minus plana esset? His ego caussis ut hoc quoque loco vetustissumos libros sequerer motus sum.

Iug. 60, 4 num oppidanis tanta vel stultitia vel alacritas ingeni iure tribuatur, ut crediderint sese ab suis audiri aut cerni posse, quod inesse in librorum scriptura *siculi — possent* plerique censuere, in incerto relinquam, mihi Sallustium illud non scripsisse propterea certum est, quoniam *siculi* cum coniunctivo id tantum significat, quod quis simulet, velut Cat. 38, 3 *alii siculi populi iura defenderent — bonum publicum simulantes — certabant* (nec divorsum est Cat. 28, 1 *siculi salutatum introire ad Ciceronem*). Qua re probavi Linkeri emendationem *sicubi*.

Iug. 63, 4 libri omnes exhibent: *ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus facile notus per omnis tribus declaratur.* Quae Kritzius sic explicavit: 'licet plerique (etiamtum) faciem eius ignorarent, tamen (conmemoratione strenue factorum ac virtutum) facile notus (factus est et) per omnis tribus declaratur'. Set quaero quo nomine is scriptor adpellandus videatur, qui tam multa lectoribus subplenda relinquat. Praeterea velim exempla proferantur, quibus *notum aliquem alicui facio* dictum esse ab latinis scriptoribus ostendatur. Ceterum quid tanti fuit, si Marius aliorum conmendationi et praedicationi tribunatum militarem deberet? Et qua tandem arte qui de eius facinoribus et virtutibus narrabant, ut facile nosceretur effecere? Scilicet notus fuit, ante quam peteret, facinoribus eius fama evolgatis. Qua re palmam meruit Palmerius, cum *factis* scribundum esse docuit.

Ut de loco Iug. 64, 2 recte iudicetur, primum quid discriminis inter *primo* et *primum* apud Sallustium intercedat dicendum est. *Primo* igitur significare semper *initio* conparatis omnibus locis, Cat.

1) Infra 60, 6 rursus *tela* (sudes et pila) ab igne et lapidibus separata sunt.

10, 3. 6. 11, 1. 17, 1. 24, 1. 3. 45, 4. 47, 1. 48, 1. 51, 29. Iug. 25, 6 (MM²T *primum*) 42, 1. 49, 5. 53, 1. 7. 60, 7. 61, 4. 69, 1. 71, 2. 5. 85, 1. 89, 2. 94, 5. 111, 2. Fr. I 53. II 5. 65. III 27. IV 60, 5, certo cognoscitur, ac Iug. 29, 3, quamquam *primum* multi boni libri exhibent, tamen in archetypo *primo* fuisse inde adparet, quod in P et P¹ id prima manu scriptum est, ab altera *primum* conrectum. *Primum* autem significat, semper quod aliud praecedat, qua re aut in enumeratione usurpatur (Cat. 3, 2. 37, 5. Iug. 6, 1. 13, 6. 14, 11. 45, 2. 64, 2. 85, 45. 102, 7. Fr. III 59, 14), aut eam rem significat, quae ante aliam inciderit, vel tempus quo primum aliquid factum sit; sic *iam primum* Cat. 7, 4. 15, 1 (libri nonnulli *pridem*). *ibi primum* Cat. 11, 6. *tunc primum* Iug. 5, 1. *ubi primum* Cat. 39, 3. 40, 2. Iug. 6, 1. 41, 10. 43, 2. 62, 1. 63, 3. 4. 64, 3. *cum primum* Iug, 7. *ut primum* Fr. IV 28. *quam primum* Cat. 57, 5. Iug. 25, 1. 97, 1. Quae vere disputata esse adparebit, si Fr. II 4 *Daedalus primum Sardiniam, post delatus est Cumas* conparaveris cum II 5 *Aristaeus — Cretam tenuit primo — postea — ad Sardiniam transitum fecit.* Ut iam ad eum locum, de quo dicturus sum, redeam, recte scribi *primo conmotus insolita re* facile adparet, quoniam conmotio animi postea constantiae negandi cessit, prorsus eodem modo quo Iug. 25, 6 scriptum est: *ubi accepit — primo conmotus metu ac lubidine divorsus agitabatur — vicit tamen — pravom consilium;* set non minus apertum est, *mirari primo eius consilium et quasi per amicitiam monere* parum recte scribi, cum is non sit animi adfectus qui alii cesserit, set quod ante alia fecit Metellus; ibi *primum* dicendum fuit. Iam vetustissumi libri paene omnes exhibent *primum conmotus insolita re mirari primum eius consilium.* Num igitur casu factum esse dicemus ut *primum* bis scriberetur, cum omnia plana et recta sint, modo priore loco *primo* emendetur?

Iug. 65, 3 cum *in inperatorem* archetypi scripturam fuisse inde adpareat, quod in recentiore primi generis familia sic scriptum est, nec divorsum quod in P et P¹ inventum *imperatorem*, quippe *in* omissum esse nemo infitiabitur, cumque id loquendi genus ab latinitate non alienum esse ostendant loci a Fabrio adlati Liv. I 23, 4: *magnumque deorum numen ab ipso capite orsum in omne nomen Albanum expetiturum poenas ob bellum impium* et Curt. IV 6, 29 *Achillem — se imitatum esse poena in hostem capienda*, nec desit caussa cur id Sallustius dicere maluisse quam *ab inperatore* videatur — etenim eas poenas ut peteret suasit Marius, quae non ab ipso inperatore solven-

dae essent, set eum laederent —, in illa scriptura mihi acquiescendum videtur, praesertim cum librarios miratos insolentiorem locutionem *imperatoris* restituisse indeque *imperatori*, obscurato quod supra adpictum erat *s*, factum esse non prorsus ab veri specie alienum sit. Dativus quo modo ferri possit non video, neque enim ullum eius generis exemplum novi, et, si rationem exploraveris, *poenas alicui petere* significat potius *pro aliquo* quam *ab aliquo petere*. Nolo tamen diffiteri, me non admodum aegre laturum esse, si quis ob eam ipsam scripturae divorsitatem haec verba glossema esse iudicaverit. Nam neque desiderabuntur haec verba et eis eiectis Sallustius ambiguitatis vitio liberabitur.

Iug. 67, 2 plerique libri manu scripti exhibent: *id misericordiane hospitis an pactione aut casu ita evenerit parum conperimus*, alii *aut pactione aut casu*, alii *an pactione an casu*. Rem igitur si diligenter consideraveris, cum illud mirum esset unum intactum Turpilium profugisse, duo tantum quaeri potuisse intelleges, utrum casu effugiendi occasionem invenisset, an ea illi ab hostibus data esset: dari autem ab hostibus potuisse aut misericordia aut promissorum spe. Qua re scribundum mihi visum est: *misericordiane aut pactione an casu*.

Iug. 70, 2 speciosiora quam veriora argumenta, quibus olim *clarum acceptumque* advorsus Kritzium defendi, ea nunc prorsus abicio nec dubito contra omnis libros *carum* conrigere, cum id non solum consuetudinem latinorum scriptorum, set etiam rerum ordinem postulare intellexerim. Scilicet quod *clarus* exprimat, id sequentibus dici manufestum est.

Iug. 74, 3 recte Linkerus scripsit: *Nam ferme Numidis in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt;* eam enim scripturam archetypi fuisse atque *numidas* et *tutata* vel *tutati* conrecturas esse ex varietate, quae in codicibus est, adparet. Cum autem *tutus* apud Sall. semper adiectivum sit (vid. Ind.), adeo de coniectura dativus *Numidis* restituendus fuit. Num igitur illa scriptura apta est? Quoniam quae tuta sunt, eis confidi potest, factum est ut *tuta* dicerentur, quae tutum praestent; vid. Duk. ad Flor. IV 3, 22. Caes. B. G. II 28, 1 *victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum*. Nec dissimile est Cat. 58, 9: *omnia nobis tuta erunt* i. e. omnia talia, quae nobis ne eripiantur, timendum non sit, ergo quae nos adiuvent. Sententia ergo est: in omnibus proeliis Numidae pedes quam arma tutiora praesidia habent. Quae sententia in universum pertinens an ab hoc loco aliena?

Nonne Sallustium, qui ipse advorsus Numidas bellum gesserat, id etiam postea cognovisse credes?

Iug. 75, 1 cum pro planissumo *ubi* multi libri *ibique* exhibeant, in P et P[1] autem primitus *ubique* fuerit, hoc scribendum esse, membrum relativum praedicatis ad *oppidum* adiunctis addi manifestum est.

Iug. 82, 2 vetustissumorum et optumorum librorum scripturam probavi *supra bonum aut honestum*, cum relicui omnes *atque honestum* retinuissent. Iam dudum enim intellectum est, *bonum* latius spectare et gravius esse, quam *honestum*, illud quod per se rectum esset significare, hoc quod deceret. Ergo scriptor alterum ita adiungere debebat, ut prius quasi conrigeret eo subiecto, quod minus quidem, set si illud inprobaretur, certe tenendum esset, in qua membrorum coniunctione *aut* locum habere ostendi olim ad Cat. 26, 2 p. 99. Cfr. Hand. Turs. I p. 540. Similiter 85, 13 ex optumis libris cum Linkero recepi *quae illi audire aut legere solent*, ubi *et legere* ceteri conprobavere. Etenim rectius Marius dicere videbatur alia illos legere alia audire, non eadem et audire et legere.

In eadem G. Mari oratione nonnulla ex Vaticano emendanda fuere. Levius est 12 *et acta maiorum et Graecorum militaria praecepta*, quoniam utrum hoc probes an cum relicuis libris, ex quibus tamen nonnulli vetustissumi ad 𝔅 adceduut, prius *et* omittendum censeas, ex codicum aestumatione pendet (vid. sup. p. 86). *Possit* autem 16 grammaticam si non flagitare, at rectius dictum ostendere qui eius periti sunt concedent. Diutius dubitavi, num 14 *obiciuntur* ei, quod relicui omnes libri tuentur, *obiectantur* praeferundum esset, set, cum cognovissem etiam aliis locis verba graviora a grammaticis restituta esse (cfr. Iug. 16, 3), etiam in hac re optumo libro obsequium praestandum duxi. 23 *ita se res habent* singulari anteponendum esse facile adparet, quoniam plurali exprimitur, rerum naturam et ordinem ita ferre. Set audacius fecisse videbor, cum paulo post *cuius rei ego inopiam fateor* scripsi, nec quod in P[1] *euiusce* supra scripto *h* legitur idoneum eius suspicionis munimentum esse clamabitur. Neque ignorabam *hice* ab Sallustio de eis rebus dictum esse, de quibus tum agit (Cat. 17, 5 *huiusce consili* i. e. de quo h. l. dicam. Iug. 80, 4 *huiusce belli* i. e. quod hoc libro scribo), set utique mihi mirum videbatur quo tandem modo librarius ab *huiusce* ad *cuiusce* aberrare potuerit, nisi *cuius* in *huiusce* conrectum legisset, et quod *cuius rei* non tam ad *gloriam maiorum* quam ad conmemorationem eorum factorum fortium refertur, librarios ut *huiusce* scriberent, movisse mihi persuadebam. Tum 26

*abunde illis facundiam et conpositam orationem fore* non solum 𝔅, set etiam nonnulli ex relicuis libris praebent. Ac dixerit quispiam minus bene procedere ac quasi defluere orationem si non aliud adiectivum ad *orationem* referatur, set substantivum anteponatur. At *abunde* cum *facundiam* coniungendum esse adparet ut membrorum aequabilitas servata sit. Set quamquam non nescio Ovidium Metam. XIII 127 scripsisse *neque abest facundis gratia dictis*, tamen an in pedestri genere *facunda oratio* dici potuerit, vehementer dubito. Etenim cum *facundus* is sit qui fandi id e. verborum profuudendorum copia polleat, homo recte ita dicitur (Iug. 95, 3. Fr. IV 25), recte dicitur *libertas* (Quintil. X 1, 55) quippe quae, cum fandi copiam faciat et animum addat, ipsa facunda videatur, oratio, quae ipsa profunditur, dici non potest. Nec vereor ne quis mihi obponat Ciceronem scripsisse d. or. I 54, 231 *sic illam orationem disertam sibi* (Socrati) *et oratoriam videri, fortem et virilem non videri* [1]. Nam cum disertus sit is qui perspicue, dilucide, ad persuadendum apte dicat (Cic. d. or. I 21, 94. Or. 5, 18), hanc virtutem ad orationem transferri posse facile adparet. Infra 27 volgo editur: *Nam me quidem ex animi sententia nulla oratio laedere potest; quippe vera necesse est bene praedicet, falsam vita moresque mei superant.* Quaeritur num praestet, quam antiquissumam scripturam esse non solum ex 𝔅, set etiam ex relicuis libris conpertum est: *praedicent* et *falsa*. Primum igitur adparet, si haec probentur, *vera* neutrum pluralis non posse subiectum haberi, set obiectum esse verbi *bene praedicent*, cuius subiectum sit indefinitum. Haec ergo sententia est: quae vera sunt, ea homines non laudare non possunt, quae falsa, per vitam meam et mores refelluntur et refutantur, vel quoniam vera ea sunt, quae Marius vere fecit: quae feci, non possunt non laudari, quae mihi adfinguntur, ea nullo negotio reiciuntur ac ne egent quidem refutatione. Tum facile intellegitur eum, qui cur se nulla oratio laedere possit exponat, graviore argumento usurum esse, cum in se nihil esse quod non laudari non possit, nihil sibi adfingi posse quod non statim falsum esse cognoscatur ostendat, quam cum orationis genera contraria discernat et altero sibi laudem addi, altero nihil detrahi dicat: ergo illo modo declarare Marium omnino nullam orationem inveniri posse, quae sibi noceat, hoc modo alterum genus sibi laudi fore, alterum non nociturum. Ad quae adcedit, quod qui se nulla oratione laedi posse neget, eum de oratione non vera,

1) *Litterae disertae* Cic. ad fam. III 11, 4. ad Att. VII 2. 8.

set malivola cogitare manufestum est, ergo de generibus orationis quaeri non posse, de eis tantum quaerendum esse, quae malivolorum oratio tangere possit. Quae cum ita sint, hic quoque locus mea quidem sententia quae in 𝔙 sit praestantia docet. — 28 formam *paenitundum* 𝔙 aliorumque scripturae *paenitendum* statim praeponam, cum eius ratio ostenta aut usus exemplis conprobatus fuerit. — 31 *parvi id facio* non est quod defendam, cum iam omnes viri docti id verum esse concesserint. — Set quamquam Vaticani maxumam fidem atque auctoritatem esse agnosco, tamen 32 *quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant*, non *profuerunt* probavi, quippe cum plusquamperfecto exprimi videretur: quae eis, qui docuerant, non eam utilitatem praebuerant, ut postea virtutem ostenderent, libertatem scilicet tuerentur ac servarent. Quae sententia confirmatur Plutarchi testimonio, qui Mar. c. 2 hunc locum ita expressit: *ὡς γελοῖον ὂν γράμματα μανθάνειν ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις.* — 39 𝔙 ne Linkerum quidem movit, ut *sordidum me et incultis moribus aiunt* recepto *incultum* mutaret. Et vereor ne multi clamaturi sint *moribus* ita supervacaneum esse. Set id prorsus nego, quoniam iam ab ignorantia litterarum ad novum genus obprobri, mores agrestes, orator transit, ergo docendum fuit, quo *incultus* pertiueret. Nec credo defuturos, qui Sallustium variandae orationis studiosum ablativos et genetivos, quos qualitatis grammatici dicunt, cum adiectivis conponere amasse dictitent. At mihi quos finis scriptoris consuetudo habeat, ex librorum fide eo magis explorandum videtur, quo certius quam multa librarii vel errore vel consulto mutaverint, cognitum habeo.

Iug. 86, 3 *cara* vetustissumorum librorum scriptura est; ab ea *cura* profectum (quippe aperto illo *a*) dativum *curae* genuit. Ad sententiam aptissumum illud est. Quae enim cara habemus, ea magni facimus, ne amittamus providemus, retinere et conservare studemus. Cui igitur sua non cara sunt, is facile ac lubenter quoquo ducitur sequitur, ad audendum paratus promptusque est. Et similiter *carus* dictum est Cat. 25, 3 *cariora ei semper omnia quam decus atque pudicitia fuit.* Iug. 15, 3 *quibus bonum et aecum divitiis carius erat.* 16, 4 *paucis carior fides quam pecunia fuit.*

Iug. 88, 1 cum constet *accipere* de modo, quo aliquis adveniens tractetur, saepe dictum esse, de qua re satis est ad lexica relegare, non potui quin *accipitur* ex optumis libris pro eo, quod librariis notius esset, reciperem.

Iug. 89, 7 rationem emendandi putidi et inauditi illius *Africa, quae procul a mari incultius agebat*, quod minume defenditur eis, quae Kritzius ad Iug. 55, 2 contulit, recte vir sagacissumus Linkerus osteudit; a quo in eo tantum discessi, quod cum optumi libri *agebat* exhiberent, facilius et ad sententiam aptius *agebatur* quam *agebant* scribi existumavi. Ea autem emendatione recepta etiam facilius probabitur, quod supra p. 88 exposui *illis* pro glossemate habendum esse, cum sic ultumum membrum ad *ibique et in omni Africa* referatur.

Iug. 92, 5 quod difficilius set ab latinitate non alienum *flumine Muluchae* recceperim, non vereor ne a peritis vehementer vituperer, nec magis quod paulo post ex eo, in quo vetustissumi libri consentiunt *omnia natura* scribendum conieci *omnis a natura*, quod recte dictum esse ostendunt, quae Handius Turs. I p. 28 sqq. et Peter. ad Cic. Or. 12, 37 p. 123 disputavere.

Iug. 93, 4 Linkerus et Kritzius Orellii coniecturam *castelli planitiem perrepsit* conprobavere, quam tantum abest ut repreheudam, ut laudem et ingeniosam iudicem. Set si librorum scripturas perlustraverimus, duo videmus antiquissuma esse: *in planitiem pervenit* et *planitiem perscribit, perscripsit* pauciorum et recentiorum esse. Quam scripturae divorsitatem quo alio modo natam esse censes, nisi in archetypo obscuratum fuisse verbum statuas? Utrum autem ei quod scriptum fuerat, proxumum ac simillumum videtur, *in planitiem pervenit*, quod glossematis speciem aperte prae se fert, an *perscribit*? Ab utro ergo emendatio repetenda est? His caussis adductus, quod iam antea conieceram, *perscrutatur* reposui. Quod si quis *perrepsit* in nonnullis libris servatum esse monuerit, eam librarii sagacis et acuti emendationem esse teneto.

De loco 94, 1 quoniam ipsi libri emendationem praebuere, nihil dicam, set paulo post 2, quamquam neque Linkerus neque Kritzius adsensi sunt, tamen etiamnum illud quod Obss. p. 7 dixi, tenendum puto, scribendum esse *vetustae radices*, confirmatus eo potissumum, quod in m conr. id inveni. Neque enim *vetustate eminere* recte sic dici puto radices, quae sua vetustate solum perfregerint, multoque minus cum Kritzio de saxis vetustate paulatim adesis, maceratis, solutis cogitari posse concedo. *Vetustae radices* sunt, quarum arbores iam diu caesae aut procellis subrutae. Inde quo modo *vetustate* nasci potuerit, qui quam saepe litterae ab oscitantibus librariis repetitae sint cognoverit, non admirabitur.

Emendati loci Iug. 97, 5 laus debetur Linkero, qui perspexit perversc dici ab Romanis alios caesos, alios obtruncatos esse; dicendum esse quid Romani divorsi fecerint. Set miror emendationem ab viro doctissumo rectissume institutam non perfectam esse. Quo modo enim Romani hostes qui numero priores et undique circumfusi erant ab tergo circumvenire potuere? et cur Sallustius *advorsum hostes* scripsit, cum deberet *advorsum se*? Commodissume P et P[1] exhibuerunt *circumveniri*, unde etiam *multi* et *pugnantes* restituendum adparet.

Timide hanc propono sententiam, videndum esse annon Iug. 98, 1 scribundum sit *manu consulere ac significare militibus. Significare* enim quod solus m exhibet, tale est, quod ut sibi obponatur sequentia *quoniam inperare conturbatis omnibus non poterat* paene videantur efflagitare.

Iug. 100, 4 cum castra non unam portam habeant neque *porta* notio sit, quae collective vel generaliter dici possit, praesertim in re militari, summam diligentiam non solum ab inperatoribus et militibus set etiam ab scriptoribus exigente et postulante, utique probanda est Lipsii emendatio *in portas*, ut Marius diligenter omnes portas praesidiis munivisse dicatur. Paulo post num recte ex librorum vetustissumorum scripturis emendaverim *equites ex auxiliariis* aequi iudices videant. Quod tum *futura* conrigens Sallustium liberavi obprobrio usus ex obsoleta antiquitate repetiti, audacius factum esse multi clamabunt, quippe qui Sallustium omnia sibi indulsisse fingant. Consolor me interea, quod Halmius meus adeo contra A. Gelli N. A. I 7 testimonium ap. Cic. in Verr. V 65, 167 unum *futuram* probandum censuit. Ab Sallustio *futurum* scriptum esse nullus idoneus et locuples testis memoriae prodidit, nec mirum est librarios duritie offensos et *esse* omissum non ferentis participium ad substantivum adaptasse.

Iug. 102, 2 volgo edebatur *velle de suo et de populi romani commodo cum eis disserere*. Dubitavere viri docti num *suus* ad Bocchum relatum recte dictum sit, de qua re disputavi Obss. p. 20—22. Recte autem persensum erat, minus commode Bocchum cum de pace acturus esset, de suo commodo dicere, minus commode suum commodum ante Romanorum conmemorare. Quae omnia removentur, cum optumos libros secuti *de se et de po. ro. commodo disserere* scripserimus. In oratione Sullae quae sequitur 5, cum mihi veri dissimile videretur, librarios quod Sallustius ab *ut* pendere et de Boccho dictum

eas ceterum exercitum in subsidiis locat: ipse equo circumiens
unumquemque nominans adpellat hortatur rogat, ut meminerint

3. Serv. ad Verg. Aen. II 157: *plerumque enim evocati dicuntur et non sunt milites, sed pro milite. Unde Sallustius: neu quis miles neve pro milite. Idem:* ab his omnes evocatos et (*al.* in) centuriones.

4. Agroet. de orthogr. p. 2270: *Subducimus et quae retro subtrahimus et quae in promtu offerimus bello. Sallustius Catilina:* optimum quemque in primam aciem subduxit.

9. Arus. p. 212: *Aeger illo. Idem Bello Catil.:* pedibus aeger.

10. Non. p. 333: *Tumulti — Sallustius in Catilinae bello:* ille cohortis veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in frontem, post eas ceterum exercitum in subsidio locat.

13. Prisc. XVIII p. 1178: *Plato πολιτεί. γ. ὅτι εἷς ἕκαστος ἓν μὲν ἂν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύει, πολλὰ δ' οὔ. Sallustius in Catilinario:* unumquemque nominans laudare.

---

1. montis P *(ex conr.)* P$^{1}$ (*conr.* —es). montes *om.* g *(set sup. al. ma.)* g$^{1}$. et *om.* M$^{2}$pg. a P$^{3}$B (*set post* a *ras.*) s$^{2}$g$^{5}$p$^{1}$p$^{5}$g$^{6}$g$^{7}$. addextera P$^{2}$. *sup. lin.* g$^{4}$, *om.* μ. dextra P$^{1}$ *(ex conr.)* P$^{3}$M$^{1}$GBs$^{1}$s$^{2}$g$^{5}$. destra p$^{3}$g$^{7}$. dextris l. ab *omitti posse censuit Selling. lect. p.* 16 *sq.* rupe aspera *plerique libri* (ruppe P$^{3}$), *set in* B *post* rupe *ras.* rupes pg$^{3}$lμ. rupes asperas *ex conr.* p$^{6}$g$^{1}$g$^{2}$. rupem asperam p$^{1}$. ru aspera s$^{1}$. aspera rupe g$^{5}$. — 2. cobortis PP$^{1}$P$^{2}$Emg (*m.* I). reliquorum G *(ex conr.)* BTEpp$^{1}$p$^{5}$mm$^{2}$gg$^{2}$g$^{3}$g$^{5}$srμγ. *pro var. scriptura* m$^{1}$. — 3. arcius Gp$^{6}$m$^{1}$m$^{2}$gg$^{1}$s$^{1}$μγ. arctius g$^{4}$s$^{2}$l. conlocat P$^{1}$. omnis P$^{1}$ (*conr.* —es). lectos *sup. lin.* P$^{1}$. electos P$^{4}$T *(in ras.)* p$^{1}$p$^{3}$p$^{6}$ *(ex conr.)* m$^{1}$g$^{1}$σγ. lectulos M$^{2}$. et *om.* Ts$^{2}$. vocatos Gp$^{1}$p$^{3}$p$^{6}$ (*m.* I). atque vocatos μ. et omnes electos evocat r. — 4. optumum P P$^{1}$P$^{2}$P$^{3}$s. obtimum P$^{4}$. — 5. in prima acie *ex conr.* F. dextera P$^{4}$MM$^{2}$ pp$^{5}$p$^{6}$m$^{1}$m$^{2}$g$^{6}$slσγ𝔖. — 6. calonibus *Putsch. ex Cuiacii cod.* colonibus P P$^{1}$ (*conr.* coloniis) *Naz. testante Grutero.* coloniis P$^{3}$P$^{4}$BG (*ma.* I) p$^{1}$p$^{6}$ (*ma.* I) gg$^{1}$g$^{2}$ (*ma.* I) g$^{7}$s$^{2}$r. — 7. adsistit P (*conr.* adstitit) P$^{1}$P$^{2}$P$^{3}$mm$^{2}$s$^{2}$g$^{1}$ (*set ras. int.* d *et* s), *Comm. cont. Grut.* asistit M. astitit p$^{5}$m$^{1}$μg$^{7}$ (*sup.* d). cymbrico P$^{4}$MM$^{1}$p$^{5}$g$^{1}$s$^{2}$μ. cimbrio s$^{1}$g$^{7}$ (*ma.* I). G. *eras.* T, *om.* g$^{2}$. — 8. habuisse in exercitu MM$^{1}$F. habuisse dicebatur in exercitu g$^{2}$. in exercitu *om.* rγ, *ad marg.* μ. — 9. at in Tρσ. ac ex P$^{3}$. *praep. om.* P$^{2}$. — 10. nequiverat *in Naz. scriptum esse ait Grut.* — 11. cohortis *ma.* I, *ut vid.* P$^{1}$. tumultus *omnes quos novi, set in* T tumulti *videtur fuisse.* causas P$^{3}$. scripserat T. post has T. — 12. circuiens P$^{1}$GTEFM$^{2}$mm$^{1}$m$^{2}$s$^{1}$ lg$^{5}$g$^{7}$σ𝔖. circuens g$^{1}$. circumveniens g$^{6}$. appellabat P$^{1}$ (*conr.* lat) P$^{2}$.

se contra latrones inermis, pro patria pro liberis, pro aris atque
focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta 6
tribunus aut praefectus aut legatus aut praetor cum magna gloria
in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat:
ea commemorando militum animos accendebat.

Set ubi omnibus rebus exploratis Petreius tuba signum dat, 60
cohortis paulatim incedere iubet, idem facit hostium exercitus.
Postquam eo ventum est, unde [a] ferentariis proelium committi 2
posset, maxumo clamore cum infestis signis concurrunt, pila omit-
tunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, 3
comminus acriter instare, illi haut timidi resistunt: maxuma vi
certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, la- 4
borantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia pro-
videre, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire: strenui militis
et boni imperatoris officia simul exequebatur. Petreius ubi videt 5
Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem prae-
toriam in medios hostis inducit eosque perturbatos atque alios
alibi resistentis interficit: deinde utrimque ex lateribus ceteros

1. Arus. p. 218: *Certo contra te. Sal. Catil.:* contra latrones inermes pro patria certare.
2. Arus. p. 211: *Amplius illam rem. Idem in eodem* amplius annos triginta cum magna gloria fuerat.
8. Non. p. 381: *Ferentari levis armatura, quicquid opus esset auxilio ferrent excursu levi, armis gravibus non inpediti — — Sallustius in Catilinae bello:* postquam eo ventum est, unde a ferentariis praelia committi possent *[praelio committim W. praelium c. posset ante A, ug I. M.].*
18. *Vid. ad* c. 61.

1. conitra $P^1$ (*ma.* I). inermis $M^1$. inhermos P. inermφs m. — 2. cer||re F. amplius *om.* $P^4$. annis $P^4Gpp^1p^5m^2g^1g^6g^7lr\gamma$. — 3. atque praefectus $P^3B$. — 4. animos militum F.

5. ubi *ab correctore in Comm. expunctum esse contestatur Grut. om.* h, *sup. lin.* $m^1$. rebus *om.* $p^1g$. rebus *sup. lin.* 𝔊. rebus omnibus F. omnibus locis $s^1$. rebus *uncis inclusit Link. Selling. em. p.* 35 *sq.* — 6. fecit G. — 7. a *om.* $PP^2P^3Bl$, *sup. lin.* $P^1m^2$. afferentariis $Gpp^3\mu$. ab efferentariis $p^1$. a lr ferentariis $g^6$. a signiferis ferentariis E. est ferentariis unde praelium $mm^2$. — 8. possit P (*corr.* set) $P^1P^2$ (*corr.* set) $l\sigma$. maxumo $P^1P^2$. insertis F. — 9. res agitur $M^2TEmm^1m^2g^3g^6s^2h\mu$𝔐𝔊. agitur res $MM^1Fg^2$. geritur bellum r. — 10. comminus $PP^1MM^2GBpg^3s\gamma$. aut (*corr.* haut) P. maxuma $P^1P^2$ (*sup.* i) $P^3M$. maxima virtute (*corr.* vi certatur) P. — 13. succurrebat $P^4$. succerre$^{re}$ M. arcessere $PMM^1M^2TEFp^3p^5mgg^3g^1\gamma$𝔐. accersire $P^1g^6h$. accessere $p^1$. arcersere $p^6$. arcessere $g^2$. arcessire $s^2$. — 14. pugnare ipse $P^3B$. — 15. simul *sup. lin.* $M^1$. exequebatur $P^3P^1Gp^6g^3s$. — 16. magna ut tendere P. magna vi contendere $MM^1M^2Fp^3p^5p^6m^1gg^4$ (*ma.* I) $g^5g^6g^7s^1hr\gamma$𝔐. vi intendere s. — 17. hostis P (*ex corr.*) $P^1P^2$ (*corr.* —es). atque *om.* $M^1$. alios alii $MM^1$𝔐. alios aliis F. alios ibi $g^6$. interfecit $Tp^3$ (*corr.*) $p^6mm^1m^2g^1g^7$ (*corr.*) $\mu\gamma$, *idque videtur fuisse in* B *et* $g^1$.

6 adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt.
7 Catilina postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt,
memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos
hostis incurrit ibique pugnans confoditur.
61 Set confecto proelio tum vero cerneres, quanta audacia quanta-
2 que animi vis fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere quem quis-
que vivus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore
3 tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat,
paulo divorsius *alis alibi stantes*, set omnes tamen advorsis volne-
4 ribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cada-
vera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam

5. Flor. II 12, 12: *quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. nemo hostium bello superfuit: quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.*

9. Diom. p. 333: *cuius nominativum veteres non tantum alius dixerunt, sed etiam alis, sicut et Sallustius ait:* alis alibi stantes ceciderunt, omnes tamen adversis vulneribus conciderunt. Charis. p. 159: *cuius nominativum veteres non tantum alius dixerunt, sed etiam alis, sicut et Sallustius:* alis alibi stantes, ceciderunt, sed omnes tamen adversis vulneribus conciderunt.

10. Serv. ad Verg. Aen. I 488: *Nimiae enim fortitudinis est inter hostium tela versari: ut Sallustius:* Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est.

---

1. adgreditur (*conr.* aggr.) $P^1P^3$s. cadunt Catilina postquam $p^5$. cadunt at Catilina postquam $g^2$. — 2. Catilina ubi fusas r. Postquam Catilina fusas $P^3p^1lg^5\sigma\gamma p^3$. Catilina *sup. lin. aut ad marg. inter* Postquam *et* fusas *exhibent* $MBmm^2g^1s^2$𝔐. copias catilina seque $\mu$. *Supra* videt *scriptum* in $P^2P^4$Es. paucis catilina esse relictum videt p. videt Catilina $P^1p^6m^1$, *om. in reliquis. Vid. Comm. p.* 72. reliqum P (*conr.* relictum). — 3. suae priscae dignitatis $MM^1$F. suae pristinae dign. $Gg^6$r. suae priscae (*conr.* tinae) dignitatis virtutis (*sup.* et) in $g^2$. suae virtutis in $p^5$. dignitatis suae $p^6$. — 4. hostis $PP^1$.

6. que *om.* $Bg^6$r. animi vis $PP^1P^2MM^1Gpp^1gg^1g^3g^5g^6s^1l\sigma$. vis animi *alii*, animi fuisset vis $M^2TEmm^1m^2h\mu$𝔐𝔊. animi *sup. lin.* $Fg^1$. animi virtus $g^7$. fuisset *om.* $s^1$. fere *sup. lin.* $P^1$. — 7. locum *sup. lin.* m. vivus locum pugnando $p^5p^6$l. fere pugnando quem quisque vivus ceperat m. pugnando locum vivus $MM^2TEFm^1$𝔐. locum pugnando vivus $P^1M^1$gh. pugnando locum vivus 𝔊$\mu$. locum vivus pugnando $\gamma$. pugnando locum ceperat vivus $g^7$. vivus *om.* r. caeperat P (*conr.* coeperat). coeperat $P^1P^4$ (*sup.* vel acceperat) $g^3$ *(ex conr.)* $g^5$. acceperat $M^1$. anima amissa $P^3$B. — 8. medio $P^1$. (*conr.* os) $g^5$. media l. cohors praetoria medios $M^2$. cohors praeteria P. praetoria cohors g. cohors disiecerat praetoria E. — 9. *Verba* alis alibi stantes *nullus liber habet; set in* $g^1$ *ras. post* diversius. *Comm. p.* 20. paulo diversi a suis sed $s^2$. diversi a suis iacebant sed $\gamma$. divorsius iacebant sed $p^5g^7$. paulo occubuerant diversius $p^6$. diversius occubuerant h. occubuerant *in Comm. esse testatus est Grut.* volneribus $\sigma$. — 10. cadavera hostium $Fg^6$s. repertus est inter hostium cadavera $P^4$. — 11. paulum $M^2TEmm^1g^2g^3g^6$. etiam adhuc spirans $P^4$.

5 habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia
6 in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus
7 cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tan
ercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam 'a
erat: nam strenuissumus quisque aut occiderat in proeli
8 graviter volneratus discesserat. Multi autem, qui e castris
aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadaver
cum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant, fuere it
9 inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitu
titia maeror, luctus atque gaudia agitabantur.

---

1. vivens $P^1$. vivus habuerat $Gp^5\gamma$. voltu $P^1$ (*conr.* vultu) $\sigma$. iuxta *om.* $P\sigma$. perpercerant iuxta $M^1$. — 4. laetam atque incr T. adeptus est $Tpgg^5s^1r\gamma$. — 5. strenuissimis (*conr.* —us) P. — neratus $\sigma$. e castris $PP^1P^2P^3P^4GBg^1g^4g^7s^2t\sigma$. ex castris $p^1p^5p^6$ de castris *relic. praep. om.* $m^2$. qui ad ea castra visendi m. — *om.* $t^3B$. repperiebant $P^2P^4MM^2GTFs\mu\vartheta$. — 9. recognoscerent *conr.)* $Bm^2g^2$. — 10. meror $PP^1MM^1Gs$. gaudium $P^4p^1g^4$ (*ex conr*

# GAI SALLVSTI CRISPI

LIBER

# DE BELLO IVGVRTHINO.

1 Falso queritur de natura sua genus humanum, quod inbe-
2 cilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam
contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias
magisque naturae industriam hominum quam vim aut tempus de-
3 esse. Set dux atque inperator vitae mortalium animus est: quis

1. Conferendus est Senec. dial. X, de brev. vitae c. 1. Quint. Inst. or. IX 4, 77: *non minore autem cura vitandum est quidquid est ἔνρυθμον, quale apud Sallustium* falso queritur de natura sua *(Eum* I 1, 1 *hunc locum Sallusti imitatum esse nemo infitias ibit).* Diom. p. 468: *Sallustium quoque in principio Iugurthae a rhythmo coepisse.* — Charis. p. 199: *Falso — si subauditur iudicio, nomen est. Sallustius tamen adverbialiter dixit:* falso queritur de natura sua genus humanum. — Donat. ad Ter. Andr. III 2, 25: *potest et* εἰρωνικῶς *falso pronuntiari, potest et falso loqueris dici, ut Sallustius* falso queritur de natura sua humanum genus. — Serv. ad Verg. Aen. IV 415: *et frustra ex iudicio poëtae dictum est. Sic Sallustius:* falso queritur de natura sua genus humanum. Id. ad XI 581: *multae illam frustra] antequam rem diceret, praeiudicavit. Sic Sallustius:* falso queritur de natura sna genns humanum. *Nam antequam diceret* queritur, falso *dixit.* — Cledon. p. 1921: *O quae producuntur a masculinis veniunt, et melius iuxta regulam in e caderent, ut false, sicut docte; sed auctoritas in o mutavit, ut* falso queritur de natura sua genus humanum, *et ista ipsa producenda sunt.* — August. de gramm. p. 2011: *Sunt adverbia communia cum aliis partibus orationis. Nominibus sunt communia, ut ait Sallustius* falso queritur de natura sua genus humanum *pro false.* — Vindic. ad imp. Valentin. Ep.: *cum saepe — humani generis fragilitas falso de natura sua queratur.*

---

1. sua *om.* E𝔊, *Comm. testante Grutero, sup. lin.* $m^1$. de sua natura $p^3p^5g^1g^5$. genus hominum $MM^1F$. humanum genus $p^5g^4r$. inbecilla $PP^1P^2P^3P^4mm^1$ (*sup.* vel uun) $m^2g^2g^3g^7ss^2$lrσμ𝔊. — 2. forte (*sup.* vel fortuna) s. fortuna potius G., sorte $P^4g^6$ *(ex conr.)* l *(ex conr.).* natura (*sup.* forte) E. — 3. aliud (*sup.* aliqnid) $P^1$s. alind, *sup.* vel aliqnid vel quicqnam $P^4$. aliquid $g^1g^2$. alind maius $p^3$. invenies $pp^1p^3p^5p^6m^1$ (e *in ras.*) $gg^1g^4g^5g^6g^7$s *(in ras.)* $s^1s^2$lrhy. — 5. mortalium vitae $P^3$.

ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est neque fortuna eget — quippe probitatem industriam aliasque artis bonas neque dare neque eripere cuiquam potest —: 4
sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est, perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires tempus ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur: suam quisque culpam actores ad negotia transferunt. Quod 5
si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa *ac perniciosa* petunt, neque regerentur magis quam regerent casus et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent. Nam uti 2

1. Non. p. 216: *grassari etiam dicimus ambulare — — Sallustius in Iugurtha:* qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur.

2. Donat. ad Ter. Eun. II 2, 10: *et Sallustius:* neque fortuna eget: quippe quae probitatem industriam aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest.

4. Donat. ad Ter. Andr. I 1, 55: *captus est] tenetur et irretitur ex translatione ferarum et venatus. Sallustius* sin captus pravis cupidinibus [*Eadem idem adfert* ad Eun. I 1, 29].

8. Aug. Ep. LIV Tom II p. 161: *neque apud ipsus qui magno studio aliena ac nihil profutura multoque etiam periculosa ac perniciosa petunt.*

---

1. crassatur $P^1P^4M^2p^1p^3p^5p^6$ *(ex corr.)* $gg^1g^4g^7r$. — 2. fortunae $P^1$. fortunae $p^1p^5p^6gg^1r$. fortuna (*sup.* e) m. fortuna *ex corr.* $g^2$. fortitudine $\mu$. quippe qui prob. $P^1$. quippe quae prob. $P^1EGM^2pp^3p^6mgg^1g^3g^4g^5g^6r\sigma\mu\gamma$𝔐𝔊. quippe quem pr. $p^5$. quinpe (*sup.* que) prob. $m^1$. eget cuique prob. (*ad marg.* al. quippe) $s^2$. — 3. ceterasque art. $P^4$. artis $P^1P^2$ (*corr.* —es). partes M (*m.* I) $M^1$ (*in quo* que *sup. lin.*). bonas *om.* $M^1F$, *sup. lin.* $m^1$. bonas artes $p^3p^5p^6m^2gg^2g^4g^5g^6g^7s^1s^2l$𝔊. — 4. si$^n$ captus m. voluptiatis g. — 5. pessudatus $P^3$. perneciosa P *(ex corr.)* $g^3$. lubidine $P^1P^2$ (*sup.* i) $P^3M^1$. — 6. tempus aetas ingenium $P^1s^2g^6g^7\mu$. tempus etatis ingenium p. etatis *vel* etas *del. in* $g^2g^4$. defluxere $M^1Tp^1p^3p^5p^6gg^1g^3g^4g^5g^6g^7s^1lrh\sigma\mu\gamma$𝔐𝔊. — 7. suam quique $PMM^1GETFpp^3$ (*sup.* vel quippe) $m^1g^3g^6g^7r\mu\gamma$𝔊. qui|que $mg^2g^4l$. quippe $g^1$. culpam ne mores $M^2$𝔐, *sup. lin.* $m^1$. auctores $P^3BT$ (*sed* u *punctis not.*) $pp^1p^3gg^2g^4g^5g^6s^1s^2r$. autores $p^5$, *om.* $g^3$. actores culpam $MM^1F\gamma$. auctores culpam Tg. — 8. Quod hominibus bonarum rerum (*hic sup.* si) tanta $M^1$. tanto $P^3B$. — 9. multaque $PP^2P^3MM^1GBTFg^3h\gamma$. multaque (*sup.* vel um) $m^1$. multoque $P^1p$ (*corr.* multaque) $p^1p^3g^1g^2s\mu$. multoque (*sup.* um) $s^1$. multum *sine* que $Eg^1$ *(ex corr.)* l. multo *sine* que $p^5r$. multumque *rel.* — 10. etiam periculosa petunt *omnes libri praeter* $\gamma$, *qui* etiam perniciosa petunt *exhibet. Vid. Comm. p.* 21. — 10. regerentur (*sup.* casibus) m. casibus *ad marg.* $s^2$. neque casibus magis regerentur $g^7$. n. regerentur casibus magis $p^5$. a casibus *sup. lin.* sr. regentur magis a casibus quam $p^1$. reg. a casibus magis $p^3g^6\sigma\gamma$. regerent *sup. lin.* $P^1$. et eo (*sup.* etiam) m. et eo etiam magnitudinis $M^1M^2h\mu$. — 11. ubi $PP^1P^2P^3MM^1BTEFpp^5mm^1$ (*sup.* uti) $m^2g^1g^2g^3g^5g^7ss^1s^2$ (*ad marg.* al. u) $r\gamma$. ibi (*sup.* u) 𝔐. uti *vel* ut *reticui, quod in Comm. esse adfirmavit Gruterus.*

genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cun-
ctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam se-
2 cuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis cor-
poris et alia omnia huiusce modi brevi dilabuntur, at ingeni egregia
3 facinora sicuti anima immortalia sunt. Postremo corporis et for-
tunae bonorum ut initium sic finis est, omniaque orta occidunt et
aucta senescunt: animus, incorruptus aeternus, rector humani ge-
4 neris agit atque habet cuncta neque ipse habetur. Quo magis
pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum
et ignaviam aetatem agunt, ceterum ingenium, quo neque melius
neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque so-
cordia torpescere sinunt, cum praesertim tam multae variaeque
sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

3 Verum ex eis magistratus et imperia, postremo omnis cura
rerum publicarum minume mihi hac tempestate cupiunda viden-

2. Serv. ad Verg. Aen. IX 96: *Nam sicut animi facta sunt immortalia, ita corporis pereunt. Sallustius:* ceterum studia omnia nostra — sicuti anima immortalia sunt.

6. Iun. Philarg. ad Verg. Geo. II 333 (T. II p. 330 ed. Lion): *Non alios prima; si crescit, deficit. In quo videtur secutus Epicurum, qui ait:* omnia quae orta, occidunt et aucta senescunt. *Cyprian. ad Demetr.: haec Dei lex est, ut omnia orta occidant et aucta senescant.* Augustin. Ep. XXVII (T. II p. 65): *quia omnia orta occidunt et aucta senescunt (cfr. eiusd.* confess. IV 10). Ep. Hieron. CXXI 14.

12. Non. p. 58: *Claritudo pro claritas Sallustius in Iugurtha:* cum praesertim tam multae variaeque sint artes animi quibus summa claritudo paratur.

---

1. genus humanum MM$^1$B (*set in* u *ras. et sup.* a *eod. ma.* i *scriptum*) TEFmg. compositum ex anima et corpore MM$^1$TFσ. et anima et corpore G. anima corpore g. ex anima est et corpore γ. — 2. alia corporis M$^1$p$^1$σ. — 3. secuntur PM$^1$Tpp$^1$m$^1$s$^1$g$^7$μ. secunetur g$^1$. sequuntur P$^4$. Igitur (*sup.* ita) m. — 4. alia omnia huiuscemodi PP$^2$P$^3$MM$^1$BTFpp$^3$p$^6$m$^2$ss$^1$gg$^1$g$^4$g$^5$lrσγ. omnia huiusmodi s$^2$. huiuscemodi omnia *reliqui.* omnia brevi *sup. lin.* m. brevi *om.* P$^3$. dilabuntur (*corr.* untur) P. ingregia E. — 5. sicuti anima PP$^1$P$^2$P$^3$P$^4$M$^1$ (*corr.* sicut) M$^2$GBTEFpp$^1$p$^3$p$^5$p$^6$mm$^1$m$^2$gg$^1$g$^2$g$^3$g$^5$g$^7$ss$^1$s$^2$rhσμγ𝔐. inmortalia P (*corr.* imm—) P$^1$P$^2$P$^4$mm$^1$m$^2$ss$^1$g$^7$μ. — 6. sic et finis Ep$^5$. omnia quae horta P. — 7. aeternus incorruptus G (*set corr.*). incorruptus et aeternus F. aeternus est rector MF. — 8. agit habet atque P$^4$. — 9. quae dediti (*corr.* qui) P. luxum et ignaviam PP$^1$P$^2$P$^3$P$^4$MM$^1$BTFpp$^3$p$^6$mm$^2$gg$^2$s$^1$rhσ. luxum atque ignaviam *reliqui.* — 11. incultum M$^2$ (*mu.* I) g$^7$. inculti socordia T. inculti atque socordes (*in* des *ras.*) F. — 12. tepescere M (*sup.* or) F. — 13. artes sint animi Eg$^2$g$^4$. paritur T.

14. et *om.* m.

tur, quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per
fraudem fuit uti, eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere 2
patriam aut parentis, quamquam et possis et delicta corrigas, ta-
men inportunum est, cum praesertim omnes rerum mutationes cae-
dem fugam aliaque hostilia portendant, frustra autem niti neque 3
aliud se fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est:
nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet potentiae pau- 4
corum decus atque libertatem suam gratificari.

Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis 4
magno usui est memoria rerum gestarum. Cuius de virtute quia 2
multi dixere, praetereundum puto, simul ne per insolentiam quis
existumet memet studium meum laudando extollere. Atque ego 3
credo fore qui, quia decrevi procul a re publica aetatem agere,
tanto tamque utili labori meo nomen inertiae inponant, certe qui-

5. Hieronym. praef. in Esdr. et Neem.: frustra autem, *ut ait quidam*, niti neque aliud fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est.

7. Arus. p. 232: *Gratificor illam rem tibi.* — *Sal. Iug.* nisi forte quem inhonesta libido tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

1. virtute (*corr.* —i) P. onos (*corr.* honos) p$^{3}$. illis P$^{2}$ (*m.* I) g$^{5}$g$^{7}$lh$\sigma$. quibus per fraudem fuit uti, eo magis *ego Comm. p.* 114. quibus per fraudem ius fuit [tuti aut] eo magis *Link.* quibus per fraudem iis fuit uti tuti P. fraudem is fuit uti (*corr.* tuti) eo magis P$^{1}$. fraudem ius fuit tuti aut Gh. fraudem is fit tuti 𝔊. fraudem nis fuit tuti aut M$^{2}$g. is (*corr.* vis) erat tuti aut g$^{3}$. vis (*supr.* vel ins vel is) fuit |||.|||| tuti aut m$^{1}$. is fuit uti tuti aut E. usus (*supr.* his) fuit uti tuti T. vis utique tuti aut P$^{2}$P$^{3}$M$\gamma$. us (*sup.* vel nis, *sed in textu* u *adi.*) utique tuti aut m. ius fuit utique tuti aut P$^{4}$BFp$^{3}$p$^{5}$p$^{6}$g$^{4}$g$^{5}$g$^{6}$g$^{7}$l$\mu$. usus fuit utique tuti aut m$^{2}$ (usus *ex corr.*) s (*sup.* usus *scr.* honoris). per fraudem concessum ius fuit uti tuti aut p. usit utique tuti g$^{1}$. vis fuit ut utique tuti aut s$^{2}$. quibus haut per fraudem hiis uti magis tuti aut $\sigma$. quibus vis fuit per fraudem utique sunt tuti r. fraudem vis fuit uti illis dignitatibus tuti p$^{1}$. utique *ad marg.* g$^{2}$. — 2. vi *sup. lin.* m. — 4. inportunum PP$^{1}$P$^{3}$P$^{4}$gg$^{1}$g$^{7}$ss$^{1}\mu$𝔊. — 5. protendant P (*corr.* port—) g$^{5}$. praetendant g$^{6}$l$\sigma$. frustra P$^{4}$. — 6. se *om.* P$^{1}$ *[uncis incl. Link.]*. sese *Naz. exhibere testis est Gruterus.* aliud faciendo nisi s$^{1}$. fatigando se g$^{4}$(*ma.* I) g$^{5}$. extrema dementia P. — 7. pernitiosa (*corr.* peruetiosa) P. lubido P$^{1}$P$^{2}$ (*corr.* lib—). et potentiae P$^{4}$. — 8. paucoporum P$^{1}$. letificari (*corr.* gratif—) P. glorificari p.

9. ex his negotiis (*sup.* vel aliis) P$^{4}$. in primis magno M$^{1}$. — 10. usu *Linker.* cuius virtutem quia T *ma.* I. — 11. dixerunt P$^{4}$ (*sup.* vel re) p. ne quis per insolentiam G. — 12. exi|tumet P$^{1}$P$^{2}$MM$^{1}$. stimet s$^{2}$. estimet l. extimet g$^{5}$. existimaret g$^{2}$ (*mu.* I) 𝔐. memet et studium G. memet *sup. lin.* Fmm$^{1}$𝔐, *om.* r, *eras.* h. — 13. a re publica procul MFp$^{3}$. — 14. tamque *ex corr.* P. agere tantumque ut. (*corr.* tanto tamque) P$^{1}$. inponant P (*corr.* imp.) P$^{1}$P$^{4}$s$^{1}$rg$^{7}$𝔊. inponunt m$^{1}$ (*sup.* vel aut) $\mu$. imponunt $\gamma$, *pro var. scriptura* T *et* s. inponent g$^{2}$. ponant $\sigma$.

bus maxuma industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam
4 quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus ma-
gistratus adeptus sum quales viri idem adsequi nequiverint, et
postea quae genera hominum in senatum pervenerint, profecto
existumabunt me magis merito quam ignavia iudicium animi mei
mutavisse maiusque commodum ex otio meo quam ex aliorum ne-
5 gotiis rei publicae venturum. Nam saepe ego audivi Q. Maxumum,
P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos
ita dicere: cum maiorum imagines intuerentur, vehementissume
6 sibi animum ad virtutem adcendi. Scilicet non ceram illam neque
figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum
eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari
7 quam virtus eorum famam atque gloriam adaequarit. At contra
quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non pro-
bitate neque industria cum maioribus suis contendat? etiam homi-
nes novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire,
furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad inperia et
8 honores nituntur: proinde quasi praetura et consulatus atque alia
omnia huiusce modi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non
9 perinde habeantur ut eorum qui ea sustinent virtus est. Verum

1. maxuma P$^3$M$^1$𝔊. salutare se plebem G. — 2. ex quibus Gg$^1$s (*sup.* et) g$^4$ (*ma.* 1 *ut vid.*). ex quibus temporibus ego g$^6$. et *om.* pp$^5$g$^7$σ. magistratum P (*ma.* I) P$^1$P$^2$P$^3$MM$^1$pp$^3$m$^1$sg$^4$ *(ex conr.)* g$^7$lrσ. magistratus *relicui*, *om.* p$^5$. — 3. *Locum quemadmodum exhibui scribundum esse primus intellexit Elbertingius, cuius coniectura per cod. Medic. confirmata esse dicitur.* adeptus sum GMM$^1$M$^2$TFp$^3$p$^5$gg$^1$g$^2$g$^4$g$^6$g$^7$s$^1$ (*ma.* 1) μγ. adeptus siat m$^2$. adeptus sim *relic.* et *ante* quales *omnes quos novi libri.* qualis G. adsequi PP$^1$P$^2$mg. a.sequi P$^4$. — 5. existumabunt P$^1$P$^2$P$^3$. existimarent (*sup.* buut) m$^2$. existimabant 𝔐 (*sup.* rent) 𝔊. mei animi g$^1$g$^5$𝔐. mei *om.* r, *sup. lin.* s$^1$, *uncinis inclusit Link.* — 6. mutasse m (*sup.* vi) p$^3$ls$^1$ (*sup.* vi). — 7. audivi ego P$^4$. ego *om.* p$^6$. Maxumum P$^3$p. publicum m. — 8. nostrae civitatis MF. viros *sup. lin.* F. — 10. animum sibi P$^4$. sibi *om.* l. eaceram Gg$^3$. — 11. memoriam P$^1$. memoriam σ. — 13. eorum *sup.* s. maiorum s. atque gloriam *sup. lin.* P$^1$. gloriam maiorum ad. g$^2$. famam maiorum ad. g$^5$. famam maiorum atque gloriam g$^6$. adequarit P$^1$ (*sup.* ve) P$^4$MTFm$^1$ (*sup.* uerit) 𝔊. adequait s$^2$. adequerit m (*sup.* v) g𝔐 (*sup.* a). adequaret *(ex conr. ut vid.)* M$^1$. adaequarent g$^6$. coaequauerint G. adaequaverit *rel.* — 14. quin *ex conr.* P$^1$. qui non pp$^3$p$^5$g$^2$g$^4$ *(ex conr.)* g$^5$g$^7$s$^2$lrσγ. qui non in diuitiis m. qui in divitiis 𝔐. qui divitiis g𝔊. quin de divitiis (*sup.* vel non de) s. — 15. contendant P. — 16. novi homines Gg. — 17. actibus T. — 18. periade quasi PP$^3$M M$^1$M$^2$GF (*sed* quasi *sup. lin.*) pp$^3$p$^5$gg$^1$g$^4$g$^5$g$^6$g$^7$s$^1$s$^2$lrμγ𝔊. preterea quasi σ. proinde quasi *relicui.* — 19. per se clara ipsa atque magn. G. clara magnifica P$^3$Bm$^2$. — 20. proinde (*conr.* periade) P$^1$. quia sustinent (*conr.* qui ea) P. sustinent ea p$^6$. eas sustinent B. qui adea sust. l. ut eorum ea quae sustinent virtus σ. virtus est qui ea sustinent g$^6$. substinent p$^3$g$^5$γ. qui ea tenent MM$^1$TF. qui ea possident s$^2$.

ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget tae-
detque: nunc ad inceptum redeo.

Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, 5
rege Numidarum, gessit, primum quia magnum et atrox variaque
victoria fuit, dehinc quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam 2
itum est, quae contentio divina et humana cuncta permiscuit eo-
que vecordiae processit, ut studiis civilibus bellum atque vastitas
Italiae finem faceret. Set prius quam huiusce modi rei initium 3
expediam, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia in-
lustria magis magisque in aperto sint.

Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal 4
post magnitudinem nominis Romani Italiae opes maxume adtrive-
rat, Masinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Sci-
pione cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et prae-
clara rei militaris facinora fecerat, ob quae victis Carthaginiensi-

9. Prisc. XIV p. 994: *Supra — adverbium, Sallustius in Iugurth.* pauca supra repetam.
13. Interpr. ad Verg. Aen. IX 387 T. II p. 321 ed. Lion: *quo post Albae de nomine dicti] hoc genus elocutionis con .... προλήψει. In Iugurthino bello:* Scipio cui postea Africano ex virtute nomen inditum fuit.

---

2. incoeptum P *(ex corr.)* $p^5$. caeptum E *idque Comm. habere testatur Grut.*

3. Bello (*corr.* bellum) $P^1$. *Nolo lectoribus taedium adferre enarrandis eis, quae libri manu scripti in peregrinis nominibus variavere, eoque minus, quod perpauci sibi ipsi constant.* — 5. dehinc P (*set c del.*) $P^1P^4p^3p^6mg^2g^4$ *(ex corr.)* $\gamma$𝔐 *Idque in Comm. scriptum esse testatur Gruterus.* deinde $MFp^5g^1g^5g^6g^7r$. dein (*sup.* de) $m^2$, dein *reliqui. set adr. del.* $P^2$. primum tunc $P^1P^2P^4$. tum primum $Gm^2\gamma$. primum *ad marg.* g, *post* obviatum est $\gamma$, *om.* $p^6$. nobilitatis *ad marg.* P. obviatum est P (*corr.* obviam itum) $P^3P^4MG$ *(set corr.)* BFp (*sup.* vel obviam itum est) $p^1p^3p^5p^6m^2gg^1g^2g^4g^5g^6g^7s$ (*sup.* vel obviam itum fuit) $s^1$ *(corr.)* $lr\mu\gamma$, *relic.* obviam itum est, $m^1$ *sup.* vel obviatum. — 6. contentia (*sup.* o) $P^1$. conditio $MM^1F$𝔐. promiscuit $mm^2g^5g^7$𝔐. — 7. vecordia G. ut $P^1P^2P^3P^4MM^1M^2GBTEFpp^3m^1gg^1g^2g^4g^5g^6g^7s^1s^2lr\mu$𝔐, *rel.* uti. processit in studiis $p^5$. ut illud studiis $p^1$. ut cum civilibus $\gamma$. — 8. faceret (*sup.* n) G. facerent $g^1$ (*sup.* faceret) 𝔐𝔊. huiusce rei $P^1$ (*corr.* huiusce modi)$l\gamma$. rei huiusce modi $g^4$. rei *om.* $pg^5$. — 9. expediam $P^1$ *(ex corr. ut vid.)* $P^2P^3P^4G$ *(ex corr.)* BF *(ex corr. ut vid.)* $pp^1p^3p^5p^6mm^2gg^1g^2g^4g^5g^6ss^1s^2hl\sigma\mu\gamma$. repediam $g^7$. expedio *rel.* quod ad (*corr.* quo ad) $P^1P^4$. ignoscendum m (*sup.* a) 𝔐. agnoscendum $EM^2$. inlustria $PP^1P^2P^3mm^2s$ (*sup.* vel industria) $s^1\gamma$𝔐. — 11. quod (*corr.* quo) $P^1$. — 12. maxume $M^1$. adtriverat $P^1r$. — 13. in amicitia $P^4BFs^1$ *(set corr.)* $g^5h$. repertus (*corr.* receptus) $M^1$. — 14. cui cognomen postea africano ex virt. $P^4$. africano ex virtute cognomen pl (*set is* cognatum). cognomen africano $g^7$. africanus (*sic etiam* $g^6r$) cognomen fuit ex virtute *al.* — 15. facinora *ad marg.* G. rei militaris *om.* $g^2$. praeclara facinora rei militaris fecerat $P^4s^1g^7\gamma$. multa militaris rei et praeclara $p^3$. facinora fecerat rei militaris $p^1$. fecerat facinora $g^3$.

bus et capto Suface, cuius in Africa magnum atque late inperium valuit, populus Romanus quascumque urbis et agros manu ceperat regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit: inperi vitaeque eius finis idem fuit.

Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque, filium Mastanabalis fratris, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum dereliquerat, eodem cultu quo liberos suos domi habuit.

6 Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, set multo maxume ingenio validus, non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit, set, uti mos gentis illius est, equitare iaculari

9. Hegesipp. I 22: *eo cultu quo liberos domi habuit.*

10. Fronto ed. Mai. Rom. p. 162: *Iugurthae forma eiusmodi est:* qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxime ingenio validus, non se luxu neque inertiae neque corrumpendum dedit, sed uti mos gentis illius est, equitare iaculari cursu cum aequalibus certare, et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurimum facere, minimum ipse de se loqui. — Diom. p. 341: *Hoc modo plerumque veteres praecipue historiae scriptores et imperfecta tempora finitiva significabant, quale est apud Sallustium:* hic ubi primum adolevit non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit, sed ut mos gentis illius est, iaculari equitare, cursu cum aequalibus certare et cum omnis anteiret, omnibus tamen carus esse. — Macrob. de diff. p. 328 ed. Bip.: *At pro indicativo Sallustius:* Hic ubi primum adolevit, non se luxuriae neque inertiae corrumpendum dedit, sed ut mos gentis illius est, iaculari equitare: et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Idem pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurimum facere, minimum de se loqui. — Arus. p. 256: *Pollens illa re. Sal. Iug.:* pollens viribus.

12. Serv. ad Verg. Aen. II 132: *infinitus modus pro indicativo. et est figura propria historiographorum, ut Sallustius:* equitare iaculari cursu cum

1. et ob capto $P^1$. cuius imperium magnum atque late in Africa T. magnum imperium late σ. magne h. magnum ac late $pp^1$. latum G (*ex* late *corr.*) $p^3p^5p^6g^1$. — 3. amicitiae (*sup.* a) M. — 4. nobis *sup. lin.* m. Set, *quod in omnibus libris ante* inperi *legitur, proprio marte delevi. uncis incluserat Linker*, et imperi *Bojes.* idem finis $Gs^2$. idem *om.* $g^3h$. — 5. optinuit P (*corr.* obt.) $P^1Gpg^3g^5s^2$. — 7. Mastanabalis fratris filium *Bojesen. cfr. Madv. opusc. alt. p.* 349. — 8. Masinissa quem quod $P^4$. eo quod $Tm^1g^5γ$. reliquerat $P^1M^1p^1p^5mm^1s^1s^2g^3g^5g^7rlσμ\mathfrak{M}$. deliquerat G (*sup.* re) $p^3p^6g^4$. derelinquerat $pg^6$ (*ma.* I) γ. de||reliquerat $m^2$.

11. luxui P (i *a pa. ma. adi.*) $P^1P^2P^3P^4GBTEF$ (*ma.* II) $p^1p^3p^5p^6m^1m^2g^1g^2g^4g^5g^6g^7$ (*ma.* II) $s^1s^2rσγ\mathfrak{M}$. luxui (*sup.* luxuriae) s. luxuriae g. luxu *relic. in quibus Comm. et Naz.* non luxui neque inertiae se $Gg^7$. — 12. est *qui omittat nullum ego librum novi, del. Cort. et Link.* equitari (*corr.* re) $P^4$.



Digitized by Google

cursu cum aequalibus certare, et cum omnis gloria anteiret, omni-
bus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere,
leonem atque alias feras primus aut in primis ferire: plurumum
facere, minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi 2
initio laetus fuerat existumans virtutem Iugurthae regno suo glo-
riae fore, tamen postquam hominem adulescentem exacta sua ae-
tate et parvis liberis magis magisque crescere intellegit, vehemen-
ter eo negotio permotus multa cum animo suo volvebat. Terrebat 3
eum natura mortalium avida imperi et praeceps ad explendam
animi cupidinem, praeterea oportunitas suae liberorumque aetatis,
quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit, ad hoc
studia Numidarum in Iugurtham adcensa: ex quibus, si talem vi-
rum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur anxius
erat. Eis difficultatibus circumventus ubi videt neque per vim ne- 7
que insidiis obprimi posse hominem tam acceptum popularibus,
quod erat Iugurtha manu promptus et adpetens gloriae militaris,
statuit eum obiectare periculis et eo modo fortunam temptare.

Igitur bello Numantino Micipsa cum populo Romano equitum 2
atque peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentando virtutem

aequalibus certare. — Arus. p. 218: *Certo cum his. Sal. Iug.:* cursu cum aequalibus certare.

1. Donat. ad Ter. Andr. I 1, 38: *ita facillime sine invidia] Sallustius:* et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esse.

3. Serv. ad Verg. Aen. X 836: *bene gravia, ut galeam et alia arma sed levia intelligamus. Et talis est figura, sicut illa Sallustii:* leonem et alias feras. *Ergo et ea fera est. Cfr. eund. ad* Ecl. II 49.

---

1. gloria *sup. lin. al. ma.* F. anteiret gloria $g^2g^6$. aute gloria iret h. — 2. esset $P^2MM^1m$ (*ma.* I) $m^2$ (*ma.* I) $g^3s^2$. erat $Tp^6s^1$ (*ad marg. al. ma.*) σ𝔊. — 3. feras alias $P^4$. — 4. facere *sup. lin. al. ma.* G. plurimum facere *om.* 𝔊. et minimum *omnes libri praeter* $P^2$. faceret min. σ. ipse minimum de se $g^2$. de se ipse $ms^1$. ipse *om.* $p^5$. Quibus *ut videtur ex* quis *conr.* $P^1$. — 5. existumans $P^3M^1$. — 6. adulescentem $Ps^2$. adulescentulem g. aetate sua $M^2Emm^1s^1s^2g^4h$. — 7. pravis (*sup.* al. parvis) $P^3B$. pravis p. liberis parvis $p^6g^5\gamma$. et *solus* l *om.* que *om.* G, *sup. lin.* m. intellegit $PP^1P^3MM^1M^2BTEFg^1g^3s^1$ (*ma.* I) 𝔐. intellexit $Gp^1p^6m^1g^2g^4$. intelligit *relicui.* — 8. terrebat enm (*sup.* enim) $Gg^1$. — 10. cupiditatem $MGFp^3g^2g^4$ (*ma.* I) $g^5g^7h$. oportunitatis (*conr.* tas) m. que *sup. lin. al. atram.* B, *om.* p. — 11. quia etiam M. mediocris (*conr.* es) $P^1$. ab hoc B. — 12. in *sup. lin.* $Pg^1$. — 13. angustius (*sup.* anxius) M. angustus F.

14. neque *om.* T. — 15. posse opprimi $P^4s^2$. obprimi E. — 16. promtus $Pp^6$. adpetens P (*conr.* app.) $P^1s\mu$. — 17. periclis $MFg^2m^1$ (*sup* v). periculis obiectare T. — 18. numantico (*sup.* n) $P^1$.

vel hostium saevitia facile eum occasurum, praefecit Numidis quos
3 in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter ac ratus erat evenit.
4 Nam Iugurtha, ut erat inpigro atque acri ingenio, ubi naturam
P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium
cognovit, multo labore multaque cura, praeterea modestissume pa-
rendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi
pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo
5 terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et proelio
strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia
timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet.
6 Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in
amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti, quippe cuius
7 neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc acce-
debat munificentia animi et ingeni sollertia, quis rebus sibi multos
8 ex Romanis familiari amicitia coniunxerat. Ea tempestate in ex-
ercitu nostro fuere conplures novi atque nobiles, quibus divitiae

4. Donat. ad Ter. Adelph. IV 5, 37: *auctor his rebus quis est?] Dativo casu, non* h a r u m r e r u m. *Et Sallustius:* qui tunc Romanis imperator erat. — Arus. p. 237: *imperator illis est. Idem in eodem:* imperator Romanis erat.

15. Non. p. 276: *tempestas, tempus. Sallustius in Iugurtha:* ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles.

---

1. eum *om.* $p^5gg^1g^6$l. eum facile $p^6$. occasurum eum 𝔊. occisurum (*sup.* a) m. casurum lσ. occursursurum p. praefecit — mittebat *om.* E. praefecit illis numidis $P^3$. praefecit numidis (*sup.* eum) $s^1$. praefecit eum numidis $p^5p^6m^2$r. praefecit ipsum numidis $g^7$. praefecit iugurtam numidis $p^1$. — 2. in hispania $Bm^2g^5$. — 3. Nam vir iugurta imp. $P^4$. nam ut iugurtha (*hoc a po. ma.*) imp. $p^6$. inpigro $PP^1P^2P^3P^4gg^1g^2g^6g^7$σμ. — 4. tunc $P^4p^1g^2g^3g^7$. tū $g^6$, *om.* $s^1$𝔊. romanus $M^2Tpm^1$ (*sup.* vel romanis) $ss^1s^2g^4g^6$lrhσ. ro' $g^4$. ro. $g^7$. romanis (*sup.* vel romanus) $P^1$E. romanis *rel.* imperator (*conr.* inper.) P. imperator (*sup.* vel praeerat) $P^1$. inperator $s^1$. imperator erat *om.* p. erat *sup. lin.* m, *om.* $g^6g^7$. romanis imperitabat $g^1$. imperabat imperator erat g. romanis preerat $p^6$σ. — 6. parando $P^3$. obviando B. periculis eundo $P^3$. — 7. maxumo $M^1$. terrori *sup. lin.* m. in primis esset Em (*ma.* 1) $g^3$. — 10. adferre P (*conr.* afferre) $P^1$msμ. solet plerumque $M^1p^5$. plerumque afferre $p^6g^4$γ. plerisque afferre solet $m^2$. plerumque *om.* $g^1$, *ad marg.* $g^4$. — 12. eum *om.* $Fg^7$. eum in dies *sup. lin.* $m^1$. in dies eum $g^5$. amplecti in dies $p^5$. illum amplecti in dies γ. quippe nec consilium eius γ. cuius consilium Fp. — 13. erat *sup. lin.* $P^4$. — 14. sollertia $PP^2P^3P^4p^5p^6mm^1gg^1$ (*ex conr.*) $g^3$sr𝔐𝔊. solert. *rel.* quibus $P^3MM^2BTEFpp^1p^3p^5p^6mm^1m^2gg^1g^2g^4g^5g^6g^7$lrhσμγ𝔐𝔊. quis *reliqui.* — 15. familiari (*sup.* vel —res) $P^1P^2$. familiares (*sup.* ri) G𝔐.

in nostro exercitu fuere $s^2$. fuere in exercitu nostro $p^5m$𝔐. fuere in nostro exercitu $s^1g^4g^7$. — 16. conplures P (*conr.* compl.) $P^1$. cumplures γ. quamplures $P^1$ (*sup.* vel com) $pg^6$.

bono honestoque potiores erant, factiosi domi, potentes apud so-
cios, clari magis quam honesti, qui Iugurthae non mediocrem ani-
mum pollicitando adcendebant, si Micipsa rex occidisset, fore uti
solus imperio Numidiae potiretur: in ipso maxumam virtutem, Ro-
mae omnia venalia esse. Set postquam Numantia deleta P. Scipio 2
dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit, donatum atque
laudatum magnifice pro contione Iugurtham in praetorium abduxit
ibique secreto monuit, ut potius publice quam privatim amicitiam
populi Romani coleret, neu quibus largiri insuesceret: periculose
a paucis emi quod multorum esset: si permanere vellet in suis
artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum, sin properan-
tius pergeret, suamet ipsum pecunia praecipitem casurum. Sic 9
locutus cum litteris eum, quas Micipsae redderet, dimisit. Earum
sententia haec erat: 'Iugurthae tui bello Numantino longe maxuma 2
virtus fuit, quam rem tibi certo scio gaudio esse. Nobis ob merita
sua carus est; ut idem senatui populoque Romano sit, summa

---

1. bono et honesto $P^4E$. bono atque honesto $p^6$ *(ex corr.)* 𝔊. aput $M^1 m^2\sigma$𝔐. — 4. imperii $PM^4gl\sigma$, *pro varia lectione in* $P^4$ *suprascriptum, in Naz. alias* imperii *legi adscriptum esse contestatus est Grut.* imperium $p^4$. solus uti imperii $M^1$. numidae $P^3M^2$ (*sup.* i). numidarum $g^1$. — 5. omnia venalia Romae esse *Commel. teste Grutero.* omnia Romae $s^2$. venalia omnia $g^6$. — 6. dantum (*sup.* a) m. — 7. contione $PP^1P^2P^3P^4MM^1M^2G pp^1p^3g^3g^5\mu\gamma$𝔐𝔊. adduxit $PP^3P^1MM^1M^2GBTEFpp^5p^6mm^1m^2gg^1g^2g^3g^4g^5g^6 g^7ss^1s^2lrh\sigma\mu\gamma$𝔐𝔊. adducit $p^3$. abduxit *reliqui.* — 8. ut potius $PP^1P^3M M^1M^2BGTEFpp^1p^3p^5p^6gg^1g^2g^3g^4g^5g^6g^7s^1s^2lrl\mu\gamma$𝔐𝔊. uti pot. *reliqui.* — 9. neu quibus (*sup.* ne aliquibus) P. (*sup.* vel aliquibus) m. neu [illegible] quibus (*sup.* vel aliquibus) $m^1$. ne aliquibus $P^1$ *(ex corr.)* $p^6g^2g^6g^7\gamma$. neque aliquibus $P^4p$. neu aliquibus $P^2$ (*sup.* vel quibus) $Gp^1p^3p^5g^4g^4$ (*ma.* I) $s^1s^2r$. neu pro aliquibus E. ne aliquis (*sup.* aliquibus) $\mu$. neu largiri (*sup.* aliquibus) g. neu quibusdam h. neu quibus eam larg. $\sigma$. ne quibus $M^4T$. nec quibus 𝔊. — 11. illi gloriam $MM^2EFB$ (*set sup.* et *ead. ma.*) $p^6s^1\gamma$. et regnum et gloriam $g^2g^5$. illi regnum et gloriam venturam r. venturam (*sup.* u) $P^1$; *id cum in cod. Daventriensi invenisset, Perizon. coni.* ventura. — 12. suam et ipsum pecuniam $PP^1MM^1M^2GBEFpp^5p^6$ (*postea corr.* suam pecuniam et ipsum) $m^4m^2g^2g^6ss^2\mu\gamma$𝔐𝔊. suamet ipsum pecuniam $P^4l$. sua[illegible]et ipsum $P^2$. suam et ipsum pecuniam *Naz. secund. Grut.* sua et ipsum pecuniam $p^1$. suam et ipsam pecuniam $p^3$. suam pecuniam et ipsum $mg^3g^4r$. suam pecuniam et se ipsum $g^7$. suāmet ipsius pecuniam $g^1$. ipsam et suam pecuniam $g^5$. sua et (*sup.* met) pecuuia[illegible] T. casurum praecipitem $P^4M^1$.

Si (*sup. adscr.* c) $P^1$. — 13. litterulis $MM^1Fg^1s$. cum litteris quas micipsae redderet eum dimisit $P^4$. eum *om.* $\gamma$ *Cort.* E rum $M^1$. Earum — erat *del.* M, *om.* $p^5$. — 14. haec est Tpr. erat haec $g^1g^5$. sic erat $s^2$. in bello Numantino $P^1P^1M^2p^1p^3p^6ms^2rh$. maxuma $M^1$. — 15. certo scio $PP^1P^2P^3P^4Bpm$ *(ex corr.)* $g^2g^3g^4g^5s^2\sigma$ *Naz. testante Grutero; reliqui* certe, *in quibus Commel. esse idem adfirmat.* pro certo $p^3$. certo scio tibi $P^4r$. — 16. sit (*sup.* ut) idem $P^3$. senatui populoque $P^1P^2P^4EM^2p^3p^5mm^1g^3g^5g^7$. senatui et populo *rel.*

ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. En habes
3 virum dignum te atque avo suo Masinissa.' Igitur rex, ubi ea, quae fama acceperat, ex litteris imperatoris ita esse cognovit, cum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iugurtham beneficiis vincere adgressus est statimque eum adoptavit, et testamento pariter cum filiis heredem instituit.

4 Set ipse paucos post annos morbo atque aetate confectus cum sibi finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis itemque Adherbale et Hiempsale filiis dicitur huiusce modi verba cum Iugurtha habuisse:

10 'Parvom ego Iugurtha, te, amisso patre sine spe sine opibus, in [meum] regnum accepi, existumans non minus me tibi quam liberos, si genuissem, ob beneficia carum fore, neque [ea] res

1. Symmach. Ep. I 25 (al. 19): *Imitabor igitur Sallustiani testimonii castigationem.* Habes virum dignum te *et per te familia consulari. Idem hanc Scipionis epistulam conmemoravit* IV 24.

11. *Conmemorat hanc orationem* Spartian. Sever. c. 21. Donat. ad Ter. Andr. I 1, 8: *te cui a parvolo] Tale est* parvulum ego te, Iugurtha *apud Sallustium.*

13. Quint. inst. or. IX 3, 12: *Haec quoque est, quam ἑτέρωσιν vocant, cui non dissimilis ἐξαλλαγή dicitur ut apud Sallustium:* neque ea res falsum me habuit. — Non. p. 75: *falsum habuit pro fefellit. Sallustius in Iugurtha:* neque ea res me falsum habuit.

---

1. En *om.* $Pg^2$, *sup. lin.* $P^1$. — 2. te *om.* E, *sup. lin.* M. suo avo $P^4s$. — 3. esse ita m. — 4. tum virtute $PGM^2pp^1p^3p^5p^6gg^1g^2g^3$ *(ex corr.)* $g^4g^5g^6g^7$lrhσμγ𝔐 *(ex corr.)* 𝔊. tunc — tunc $s^1$. permotos (*sup.* u) $P^1$. — 5. adgressus P (*corr.* aggr.) $P^1P^2s$. statimque *omnes libri, at Link.* tandemque. — 6. cum filiis pariter heredem $MM^1TFm^1g$𝔊. pariter heredem cum filiis $s^2$. pariter *om.* l. — 8. intellegeret $PP^1M^1M^2Gmm^1g^1g^3$𝔐. intelligeret adesse F. atque cognatis T. — 9. filiis *sup. lin.* $P^1$𝔐, *om.* $g^7$. dicitur *om.* $P^1$. dicitur huiuscemodi habuisse orationem MF. verba huiuscemodi dicitur $p^5$. dicitur in Iugurtham huiuscemodi verba habuisse $M^1$. verba in iugurtham (*sup.* vel cum iugurtha) $m^1$. huiuscemodi verba dicitur γ. habuisse cum iug. lr. huiuscemodi verba cum iug. dicitur habuisse $p^6$. huiuscemodi habuisse verba cum iugurtha $s^1$. cum iugurtha fertur habuisse $P^4$. huiusmodi $g^3$μ.

11. parum (*sup.* v) $M^1m$. ego Iugurtha te $PP^1P^2P^3P^4Bp^1p^3p^6m^2ss^1g^1g^5$μγ. ego o iugurtha te $Gg^1$. te ego iug. $p^5g^2$. te *om.* E. ego te Iugurtha *relicui, set* 𝔐c: ego te iugurtha [10] amisso. iugurtha parvum amisso g. — 12. in regnum meum $𝔄Pg^2$l. in meum regnum *relicui.* existumans $P^1P^2$ (*sup.* i) $P^3$. non me minus tibi $Tp^6$γ. me non minus tibi $g^6$. me tibi non minus 𝔊. tibi me r. non minime tibi g. — 13. *Omnes libri* quam liberis si genuissem; si quam liberis si genuissem $p^5$. liberis *eiecere Palmer. Ciac. Ursin. Kritz., uncis circumclusere Bajes. et Link. Vid. Comm. p. 74.* karum $P^1$. kaurum $g^1$. ea *cur delendum censeam, vid. Comm. p. 74.*

falsum me habuit. Nam, ut alia magna et egregia tua omittam, no- 2
vissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honora-
visti lnaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti,
in Hispania nomen familiae renovatum est, postremo, quod diffi-
cillumum inter mortalis est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam 3
mihi natura finem vitae facit, per hanc dexteram, per regni fidem
moneo obtestorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beniticio
meo fratres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiungere quam
sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque thensauri prae- 4
sidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque
auro parare queas: officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, 5
quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si luis ho-
stis fueris? Equidem ego vobis regnum trado, firmum si boni 6
eritis, sin mali inbecillum. Nam concordia parvae res crescunt,
discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, 7

13. Spartian. Sev. c. 23: *firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt, si mali imbecillum.*

14. Senec. Ep. XV 2 (94), 46: *M. Agrippa — dicere solebat multum se debere huic sententiae:* nam concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Hieron. Comm. in Matth. lib. II (12, 26) p. 79

